

EPIST-
OLÆ
MEDICI-
NALES


CARR

1691









IMPRIMANTUR,
Epiſtolæ Medicinales.

Tho. Witherly, *Eq. Aur. Præſes Coll. Med.* Lond.

Pe. Barwick, Jo. Elliot, Rob. Pitt, Joh. Bateman,	Cenſores.

EPISTOLÆ MEDICINALES VARIIS OCCASIONIBUS CONSCRIPTÆ.

AUTHORE
RICARDO CARR, M.D.
Et Coll. Reg. Med. *Lond.* Socio.

LONDINI,
Impensis Stafford Anson, ad insigne trium Columbarum in Cœmeterio D. *Pauli*, 1691.

This Book belongs to the
Library in the Charity
School Chamber in
Nottingham given by Dr.
William Standfast

CELEBERRIMO

Medicorum Londinensium

COLLEGIO REGALI

HAS

EPISTOLAS MEDICINALES,

Observantiæ & gratitudinis ergô,

Quàm humillimè D. D. D.

RICARDUS CARR.

IN-

INDEX EPISTOLARUM.

Epist. IV.

Epist. V.

Epist. VI.

Epist. VII.

Index Epistolarum.

EPIST. XVI.

EPIST. XVII.

EPIST. XVIII.

Nuſquam

NUsquam mihi ortum est cum aliquo dissidium propter opinionum discrepantiam, nec inimicitiæ susceptæ, quod mecum in iis non sentiret, à quibus forsan paulo post & ipse dissensurus sum.

Browne Relig. Med.

Epistolæ Medicinales Variis Occasionibus CONSCRIPTÆ.

EPISTOLA I.

De frequenti Pulveris Sternutatorii uſu; quibus noxam afferre, quibus prodeſſe, perhibetur.

Vir Illuſtris,

LIteras quas dedit veſtra Dominatio, non ita pridem accepi, multumque debeo humanitati veſtræ qua plurimum devinctus ſum.

Quod ad mandata veſtra ſpectat, ut paucis aperiam, An frequens Errhinorum uſus prodeſſe omnibus cenſendus eſt; vel quod me huic minus favere conjectura aſſequitur

Vestra Dominatio, rogat & imperat ut quibus in casibus officeret valetudini ex rationum momentis, ex Oeconomia animali petendis, literis tradam, etiamsi rei difficultas, aleæque plenum opus jure merito absterreret, fatendum tamen est me malle Dominationi vestræ obsequi, licet ad istiusmodi provinciam suscipiendam minus idoneum (tanta est imperii vestri in me facundia) quam excusationem parare, licet justissimam.

Mirari subest, quibus illecebris stimulantur viri (nondum enim istius consuetudinis contagium sexum alterum infecit) ad Sternutatorii Pulveris usum toties subinde repetendum, vicinis præcipuè aliquot regionibus, quibus minus solennis est fumandi usus, ut vix aut ne vix desinunt inter sacra huic consuetudini immolare; si quemcunque invisis, quam officiosissime, porrecta pyxide, quasi ad epulas invitat; inter peregrinantium cœtus, si te hujusce Pulveris fastidium capit, parum aberit quin hæreticus censeris;

famem

famem ſitimque minus ægre tolerantes, quam hujuſce Pulveris inopiam; quæcunque demum gulæ & palati blandimenta ſtudebat Epicureorum ſecta, comparatione titillationis inſufflatum Pulverem inſequentis inſtituta, vel illius emungendi voluptatem (ſi mores ſunt rerum indices) flocci æſtimanda ſunt.

Sed ut redeam ad juſſa veſtra, Peritè monet Vir Illuſtris rationes medicas illas certiſſimas futuras, quæ ſtructura corporis humani fulciuntur. Multum itaque debeo Clariſſimo *Sneidero*, Profeſſori Anatomes in Germania celeberrimo, qui tractatu ſuo de Oſſe Cribriformi (quem indubie inſtructiſſima veſtra bibliotheca ſuppeditaverit) ad purgandum caput, quod omnium in ore verſatur, irritum ptarmicorum uſum certa experimentorum ſerie demonſtravit; mallem itaque ut apud Autorem hæc legat veſtra Dominatio, quam ut hic loci ſigillatìm recenſerem; monere tantum ſufficiat *Os cribriforme* eſſe *impervium*,

vium, ſic nullatenus tranſmittendis è cerebro humoribus aptum natum deprehendi.

Willis. Cerebr. Anatom. p. 144.

Sed objicit Vir Illuſtris ſeroſæ Colluviei intra Cerebri Confinia contentæ exitum denegare, nihil aliud eſt quam cujuſque Cerebrum vipera gravidum aſſerere, cui quidem partus niſi per exeſa parentis viſcera minime concedatur.

Reſponſum eſt obvium, quod exitus humoribus cerebri ſublatis impedimentis ſemper patulus, via ſcilicet Regia eſt per Venas Jugulares, uti ex accuratiſſimis experimentis celeberrimi *Loweri* luculenter conſtat.

Quod ad alteram objectionem, Quod impoſſibile eſt cognitu utrum os cribriforme humoribus extravaſatis impervium eſt nec ne, dum enim inter vivos ſumus nulla eſt experiundi copia, in defunctis partes ſubſident & collabuntur, dum durante animalis vita dehiſcunt quaſi & dilatantur; ſic à defunctis ad vivos non valet conſequentia.

Tanti

Tanti viri pace, ſequitur in cadavere tam molis carneæ quam vaſorum ſubſidentia, per conſequens foramina illa os Cribriforme perforantia ampliori hiatu pateſcerent, dum vaſa idem perreptantia ſubſident & anguſtantur; & ſic è contrario humoribus ab intus ad extra facilior exitus concederetur.

Porrò vaſa illa os cribriforme perforantia nobiliori cuidam uſui deſtinantur quam collicias eſſe colluviei Seroſæ, fibræ & filamenta in narium cavernas dilatæ & membranæ vel inſeruntur vel conſtituunt, motui & ſenſui inſerviunt, & quis non opinabitur olfactum admodum lædi, modò vaſa huic inſervientia cloacam cerebri conſtituerent.

Sed dari vaſa Lymphatica externum cerebri ambitum perreptantia hiſce oculis vidi, in cadavere in noſocomio Lugduni Batavorum intenſiſſimo brumali gelu, anno octogeſimo tertio, diſſectore Profeſſore *Schaſtio* Medico exercitatiſſimo, qui viva voce ſæpe idem teſtatus eſt. Facile adducar ut credam hujuſce

gelu ope vaſa hæc conſpicienda fuerunt, quæ aliis temporibus incaſsùm exploravimus, nec mirum, iſtiuſmodi enim tenuia & exilia vaſa quam citiſſimè ſubſident, niſi gelu conſtricta tali,quale nemo mortalium unquam viderat. Quæ vaſcula oſſis cribriformis foramina perreptantia fibras & filamentea nervea comitantur & (modo indultum eſſet conjecturæ arbitrium) illarum humectationi inſerviunt, quo pacto vaſorum nerveorum ductilitas & obſequium ad exquiſitum hunc ſenſum tam neceſſaria horum madore perſtat, quæ aliàs hujus irrigui madoris expertia, citò exareſcerent, quod externo aeri jugiter exponuntur ; ſic ſenſus vel admodum labefactaretur, vel penitùs periret, hanc opinionem confirmat quotidiana obſervatio, quod qui frequenti Errhinorum uſu faſcinantur, olfactum ſtatim deperdunt, vaſculis illis madorem illum ſuppeditantibus penitùs exſuccis.

Qui Pulvere Sternutatorio ſubinde utitur, nunquam ſternutat, exiccantur & coaleſcunt vaſcula frequenti

quenti nimis decurſu, flacceſcunt fibræ, ſic motum iis impreſſum communicare non valent, tenerrima illa membrana narium cavernas inveſtiens quaſi callum contrahit frequenti nimis irritatione, & licet milliès provocatur obſurdeſcit.

Veniam, Vir Illuſtris, quam humillimè rogo, quod tamdiù harum partium ſtructuræ inſiſtebam, cui notiora ſunt hæc omnia, quam ut inculcare expediat.

Vehementiſſima illa expiratio altiſſimam inſpirationem ſuccedens quæ Sternutatio dicitur, leviſſima intra nares irritatione provocatur, per communicationem nervulorum narium cum iis in nervos diaphragmatis & abdominis diſcurrentibus, qui ſic ſubitò convulſi, faciunt ſubitam & violentam aeris excluſionem.

Sonus auditur quod os non ſufficit ad aerem ſat citò emittendum, ſed per foramen ori & naribus commune erumpens, quâ datâ portâ, & ad ejus præ copia parietes allidens, ſonum excitat.

Aſpectu ſolis ſternutamus, acriori lympha intra narium cavernulas incluſa rarefactionem quandam ſubeunte, & nervulorum fibrillas quaſi aculeis exagitante.

Sternutatio ſupervenit modo nos intempeſtivè denudamus, quo pacto fit præcipitatio ſeri acris, cujus ſeri ſalſedo idem efficit.

Sternutatio quibuſdam inter morbos recenſetur, neque levem moleſtiam faceſſit, modò tanta frequentia obtingit, quod lympha tam fixa acredine ſaturatur, ut ſuum nequit abſolvere circulum, quin ſui ſubinde fixioris genii irritando veſtigia relinquit.

Ptarmicorum uſus in morbis pectoris minus tutus perhibetur, pluritidem & peripneumoniam accerſant potiùs quàm medentur, hæmoptoicis interitum minantur, pulmonum vomica laborantibus accelerant mortem, cyſtis enim illa quæ quiete & indulgentia diù intus contenta aſſervaverit & inducias dedit, tam violento corporis motu ſæpe media crepat, ſic pus effluit, &

& æger ſtatim ſuffocatur. Eodem nomine plethoricis, aſthmaticis & carnoſioribus minùs convenire comperta ſunt.

Oculorum imbecillitatibus, Opthalmia, Epiphora, hebetudine viſus, ſuſpecta ſunt Errhina, ne forte fortuna plus excuterent quam alibi derivetur. Refert *Hildanus* virum ex frequentiori uſu cœcum redditum. Quoties tamen Sternutandi occaſionem præbet Natura ipſa nullis Ptarmicorum ſuppetiis laceſſita, nequaquam fricatis oculis aut preſſis naribus coercenda eſt, ſed grato & lubenti animo excipienda.

Qui proclives ſunt in Hæmorrhagias quaſcunque fugiant Sternutatoriorum uſum, ne illa corporis concuſſione vaſa dehiſcerent,& quaſi ruptis clauſtris & repagulis impetuoſiùs effluat ſanguis, quam omni Apollinea arte ſumus cohibendo, inde anceps ipſis Apoplecticis, quia ex violento Sternutamento ſanguis aliquando erumpit ex vaſis externis, quidni & internis, omnibus quæ nimium menſtruorum fluxum patientibus

entibus idem inculcarem, nisi illarum prudentia horum usum repudiaverat, & gravidis ne abortus inde subsequeretur. Hydropicis demùm quorum vasculorum teneritudo quàm facillimè rumpatur.

Vertigini obnoxius cavere debet, quod prædicti Pulveris frequentia exacerbat malum, post tantam corporis concussionem magis in gyrum vertuntur Spiritus, neque leve est convulsionibus assuescere caput, præsertim junioribus, ne tandem aliquando accerseatur Epilepsia.

Herniosus demùm præ cæteris cavere debet ad Ptarmicorum usum evitandum, docet enim Oeconomia animalis post altissimam inspirationem Sternutandi prodromum, Diaphragma immodicè deprimitur, qua Diaphragmatis depressione, infimi ventris contenta petunt inferna, sic necessariò sequitur vel ulterior ruptio vel ampliatio, unde immodica scroti intumescentia, experientia idem confirmat, quod spiritus retentio, qua diaphragma planam figuram nanciscitur, haud infrequens Herniæ

causa perhibetur. Ex quo malum oriatur, ex illo admodùm ingravescit. Vehementissima demùm illa expiratio processui peritonæi vim infert.

Sed objiciat vir Illustris si Sternutandi usus minus salubris audit, qui fieri potest quod in morbis malignis dictis, rebus omnibus desperatis, salutem prænunciet, & si provocata non supervenit, lethale signum judicatur.

Primo, Prioris assertionis veritas in dubium vocanda est, quosdam enim morbis malignis non obstante Sternutamento animam efflasse notum est. Imo memorant tam Medicorum quam historicorum Monumenta, pestem morbum scilicet summè malignum tempestate *Gregorii Magni* immanitèr grassantem, sternuentibus nusquam non exitiosam.

Sed secundo, Natura nullam istiusmodi Crisin iis molitur, qui continuò fortiorum Ptarmicorum usui sese assuefiunt (& gradatim ad fortissima deveniunt) vasa prius memorata

morata adeò exaruerint, & membrana adeò occalluit, ut neque lympha ſuppeditanda eſt, vel ſi ſuppeditetur, fibrillæ narium omnibus illius aculeis immorigeras ſe præberent.

Hoc tantum in illius gratiam dici poteſt, quod laudabile ſignum eſt tam deſperatis caſibus, morbis ſcilicet malignis, ubi ſemper ſumma eſt virium proſtratio, nervos ſentire, & ſat ſpirituum ad exploſionem illam obeundam, eo pacto ſi provocata non ſupervenit, lethale ſignum judicatur inſuetis, quòd indicat muſculos & nervos non ampliùs ſentire, ſed eſſe flaccidos, nec Spiritibus diſtentos.

Etiamſi, Vir Illuſtris, frequentem illum Sternutandi uſum admodùm improbo, & prædictis affectibus damno, nolo tamen omnem Ptarmicorum uſum repudiare, ſed proficua futura ſequentibus caſibus tam ratio dictat quam experientia ſuffragatur, modò urgente neceſſitate tantùm uſurpantur.

Nemo non expertus eſt in capitis gravedine

gravedine post Ptarmicorum usum solamen percipi, adapertis vasculorum colliciis, capitisque dolores subinde solvi, obstructiunculis ex violenta illa corporis concussione reseratis, eodem nomine aurium tinnitum, singultum, affectus soporosos, insultum quandoque Epilepticum fugat.

Hystericis passionibus, partu difficili, fœtu mortuo vel secundinis exturbandis, sexui altero plurimùm conducit.

Sed aversatus sum frequentem ejusdem medicamenti usum, quod de essentia medicamenti est ut rariùs usurpetur, neque Opium prodiga quadam dosi sæpiùs exhibitum conciliat Somnum, nec venenum ipsum *Mithridatem* interficiet, modo toties repetatur. Spes demùm omnis excidit alicujus emolumenti comparandi quando occasio postulat, si nulla urgente necessitate familiaris sit usus.

Aliud verò consulendum superest, ut fortissimorum Pulverum usu Vir Illustris abstinere dignaretur, ut

Euphorbium,

Euphorbium, Pyrethrum & Helleborum penitùs evitaret, potius (quod istiusmodi medicamenta nequeunt esse nimis simplicia) rosis tantum rubris in subtilissimum Pulverem redactis provocetur, quæ omnibus Ptarmicorum usibus inservient, & absque violentia.

Nolo Dominationem vestram gravare consiliis, quid inter, ante, & post Sternutationem exigatur, & quid ominari retulerunt Veteres, Medicina suas habet superstitiones, ut Relligio suas.

Mos Salutandi Sternutantes quam primùm increbuit vestram in historicis peritiam neutiquam latet, æram longè antiquiorem obtinuit tempestate *Gregorii Magni* qua Romæ sæviebat pestis Sternutantibus exitiosa quod commemorat *Apuleius*. Qui trecentis non minùs annis ante Gregorium scripsit, consuetudinem ergò Sternutamenta venerandi antiquiorem esse, quam ut à Gregoriana memoria emanavit, in exteris regionibus tam reformatis quam reformandis eadem veneratione

tione ſalutandi conſuetudo etiamnùm invaleſcit, nec tantum ingenui & liberaliter educati, quin & ipſæ plebeculæ fæces relligioſis hiſce officiis capiuntur, Sternuenti honorem exhibent, ſibique & ab aliis exigunt.

Hæ ſunt obſervatiunculæ, quas brevitas temporis, vel ut rectiùs dicam, ingenii tarditas mihi ſuppeditavit, quæ etiamſi minùs arrideant judicio veſtro ſagaciori, teſtentur tamen quantum apud me valet autoritas veſtra, & quod nihil mihi vel ambitioſius quæſitum eſt, vel honoratius judicabitur, quàm palàm me profiteri

Dominationis Veſtræ

Obſervantiſſimum.

EPISTOLA II.

De fumandi consuetudine; quibus improbanda, quibus & approbanda censeatur.

Domine,

VIcinum quendam generosum ingenio & eruditione conspicuum, præ cæteris tibi chariorem, nuper tibi consuluisse ut fumes, novissimis quas dedisti literis me certiorem fecisti; rogas judicium meum, num illius consilio obtemperares.

Spero, Domine, quod neque ingenio neque eruditioni generosi vicini tui detraxisse videar, modò illius peritiam Medicam minùs deprædicandam censerem; potest esse vir doctissimus, nec tamen medicus; potest esse fidissimus amicus, nec tamen consilia sanitatem corporis spectantia (non obstante summo suo bene-

benefaciendi conatu) ritè administrare. Educatio à re medica admodum aliena, dubia & temeraria obtrudere permittat, vel potius coget, nullâ habitâ vel corporis vel impendentium morborum ratione; sed longè saniora docet Studium Medicum, ratione & judicio fultum, rerum usu & multiplici experientia solers, quod neutiquam consilium dederit inconsultâ omnium circumstantiarum ratione, nec nisi corporis habitu priùs explorato.

Empiricorum est unum idemque omnibus, nullo discrimine, consulere, quo pacto plures per annum interimunt, quàm febre pereunt.

Medicorum verò patientum saluti invigilantium, juxta necessitatis normam, ex imminentium morborum præludiis, ex corporis habitu, ex crisium molimine metiendam, sua subinde Pharmaca pro hoc ægro & pro hac vice variare, & indicationibus, salvâ conscientiâ, satisfacere.

Nicotianæ usus aliquot retrò annis admodùm increbuit, præcipuè in

Britannia & Inferiori Belgio, præsertim inter nautas & milites, ex nimio fortaſſe otio: Neque teſtantur Medicorum obſervationes, morbos in prædictis locis minus fuiſſe frequentes, ex quo illius uſus invaluit. In Galliis & in Italia rariſſimus aut ferè nullus eſt illius uſus, nec plures ibidem loci graſſantur morbi.

Sed quod corpus tuum reſpicit, cui particulatim inſervire vocor, (Vir Egregie) temperamentum tibi eſt admodum bilioſum; vel ſi cum Neotericis loqui liceat, ſalinum. Hoc teſtantur quotidiana tua ſitis querimonia, oris amaror, vigiliæ nimis importunæ, corporis ardor, pulsûs celeritas, urina flavedine tincta & tenuior, & corporis macies; quæ Symptomata, niſi acerbiora eſſe volueris, vulgarem noſtrum fumandi uſum arcent & inhibent.

Sitis illa, quâ ſoles torqueri, vera eſt & genuina, non ex vaſculis ſalivalibus obſtructis oriunda, quæ potiùs oris ſiccitas appelletur, ſed ex Humidi in ſanguine defectu, quo copioſiùs poſt tubulum exhauſto, quòd

ſolenne

solenne est, malum illud ingravescere expectes.

Sed respondent Nicotianæ patroni, Post tubulum haustum ad pocula provocamur; sic fœlicissimè huic malo occurratur; huic Humidi defectui frequentioribus poculis subveniemus.

Bella oratio. Sed *Primo*, sic tantum resartis damna quæ infers, dum quod ingurgitas pleniori alveo expuas, pavimentum sputo madeat, exucco corpore.

Sed *Secundo* pessimam, istam consuetudinem induxerit quovis ferè momento pitissare, quò nihil ad prosternendum appetitum pejus, dum fermentum Esurinum dictum diluit & enervat, unde exurgat malorum Ilias. Nullus dubito quin quod sobrius hactenus vixisti, temulentiam in futurum vitaveris, quod difficilius futurum inveneris, cùm primùm bibendi necessitas, consuetudo, & aliorum frequentior invitatio ad pocula vocant, dum quasi innoxiè obambularet patera nondum exhaustis tubulis.

Sed *Tertio*, bibaces magis fitiunt quam fobrii, quod in illis folet effe in nervis gulæ & œfophagi major tremoris gradus, quam fobriis, qui tanto potui non affuefiunt; fedes enim fitis non eft ventriculus, quòd in febribus ardentibus fitis non extinguitur, fi bibit urnam; fed nervi gulæ & œfophagi, continuo madore irrigandi; fic illarum partium nervis certus quidam & affuetus motus imprimitur, cui Anima affuefcit, quo affueto motu ceffante Idea fitis excitatur.

Fatendum eft, quòd pituitofis & ferofis Nicotianæ ufus fitim non accerfit; è contrario fœliciter iis cedit, dum uberionem feri proventum inhibet, pituitam, *i. e.* ferum coagulatum, è nido fuo deturbat, & fi frigore tentantur, calore fovet: fed longè diverfa poftulat cafus tuus, *i. e.* temperies tua biliofa. Veftalis focus tuus iftiufmodi pabulo nequaquam indiget, potiùs flabello opus eft, ne nimium micaret.

Sed alio nomine culpandus venerit Nicotianæ ufus, refpectu funefti admodum

admodum morbi tibi impendentis; nondum elapsum est biennium ex quo insultus cujusdam Apoplectici infœlix quoddam præludium sensisti; & quod mihi suspicionem istius morbi ingruentis auget, patre Apoplectico natus es. Huic morbo hanc herbam Indicam infensam esse quis non judicaverit? Experientia constat, Apoplexiam inter Nicotianæ usum sæpissimè invadere, quod etiam testatur Celeberrimus *Deckerus.*

Ex sapore acri & pingui, ex odore viroso narcotico hujus herbæ, usus illius neutiquam Paralyticis consulendus, sed Opii instar evitandus. Nervis demùm infestam, & per consequentiam nervinis morbis exitiosam profiteri licet.

Nonnulli ad famem stimulandam ante prandium fumare assuescunt, alii post prandium ad Concoctionem promovendam, sed tam laudabili proposito rarissimè inservit; forsan phlegmaticis & frigidioribus aliquantulùm conferat, sed ea lege, ut illo tantum tempore uterentur,

obſervare licet, ex ſena per diem fumiſuctione vix viceſimus quiſque eſt, cujus appetitus non dejicitur & languet; ex dena fumiſuctione penitùs aboletur.

Sed ut verbo expediam; temperamentis vel morbis ſalinis hanc fumandi conſuetudinem admodum improbandam cenſeo; temperamentis verò & morbis pituitoſis, illius uſus aliquantulùm indulgeatur.

Hujuſce herbæ maſticationem, quibuſdam familiarem, minùs approbandam cenſeo; pulmonibus præcipuè calidioribus, quòd acerrimo ſale ſcatet; ſi vel portiunculam per foramen cutis ſerpentum, viperarum, & hujuſmodi animalium intrudis, necem inferet; ſi illius olei phiolam pauliſper ad nares admoves, vomitum concitaverit; vereor profectò, Domine, (forſan cautionem hanc nimiam eſſe opinaberis) ne dum Herba illa pleno hiatu excipitur, & diuturniùs mediantibus oris organis circumrotatur, vel minima illius ſucci portiuncula per conniventis Epiglottidis rimulam

quandoque

quandoque dehifcentem, viam admodum lubricam, difcenfum facilem dilabatur, quo pacto tenuiffimæ pulmonum pelliculæ tam acri & ingrato hofpite citius corrodantur, quam per fumifuctionem mediante tubulo quafi è longinquo petitam, illa ipfa tamen affidua fumifuctio dentium phalanges, corpora admodum dura & polita nigredine inficit, camini æmulâ, tandemque erodit, ut vix millefimus quifque eft, cui poft affiduam & diuturniorem fumandi ufum, dentium nitor & numerus conftiterit.

Si quis morbus malignus, aut peftilentialis Epidemicè graffatur, fumifuctionem perutilem fuiffe experientiâ conftat Clariffimi *Diemerbroechii*, tractatu fuo de Pefte, qui pro primario præfervativo in Pefte femper habuit, dum fit melioris notæ Tabacum, ex maturioribus foliis in funes coactum, *Cujus ope Dei gratia ab illius morbi contagio fe plurimofque alios immunes cuftodivit.* Sed illius ufum poftea, elapfa pefte, in totum dereliquit, nolens naturam

ſuam ei nimis aſſueſcere, ne tandem laudabilem uſum in deteſtandum abuſum converteret, quemadmodum hodiè in pleriſque fieri videmus.

Si quis maxillarum tumoribus circa collum obnoxius eſt, Tabaci uſum primo adventu ſuadeo, experientiâ edoctus, poſt fumiſuctionem tumores iſtos diſparuiſſe, & intermiſſo Tabaci uſu de novo propullulâſſe, & dein repetito illius uſu ſtatim evanuiſſe, colliciis in os deſinentibus adapertis; acrimonia enim illa quæ in fumo eſſe deprehenditur, titillando & irritando glandulas in ore ad uberiorem humorum profuſionem invitat; ſi quis itaque copioſa ſputi rejectione moleſtatur, in perpetuum huic Herbæ valedicere conſulendus.

In ſedandis dentium doloribus, in uteri ſtrangulatu, in oculorum affectibus nimio ſero turgidis ad paroxyſmum Aſthmaticum cohibendum egregiè confert; ſed obſervatu dignum eſt, quòd non niſi inſuetis auxiliabitur; ſi quid itaque emolumenti

emolumenti exposcis ex Peti usu, usum illius quotidianum fuge. *Cavendum enim est ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur.*

Pauci sunt qui in fumandi consuetudinis gratiam probas tantum & politicas rationes urgent, & sibi plaudunt, quorum vel specioso obtentui obsistere non est hujus instituti: è contrario justissima sanè ratio visa est, modò virtuti ministrat, talisque socius plenis ulnis amplectendus.

Domine, si literas meas genio tuo accommodassem, forsan melius tibi placuissem; sed amicitiæ & medicinæ ratio contrarium jubet. (Facile mihi persuadeo generosum vicinum tuum in eandem penitùs iturum sententiam, nisi aliter senserit, quod suspicari nefas est, ne errasse videretur.) Non est cordati Medici consilium suum animi genio minus ritè formato, sed corporis saluti, accommodare; non phantasiæ obsequi absurda vel minus salutaria petenti (hoc adulationem

tionem redoleret summè detestandam;) sed ne quid mali ingruet fideliter monere; non quod gratum est, sed quod proficuum, porrigere, quo pacto sperare liceat, conatum Medicum summo rerum Moderatori placere, Conscientiæ satisfacere, ægrotantibus subvenire, quibus nihil carius habendum est

Humillimo Servo.

EPI-

EPISTOLA III.

De liquorum in Coffipoliis nostris virtutibus & vitiis.

Dignissime Vir,

QUOD prudentis est valetudinem suam curare exemplo tuo doces; neminemque hominem fœliciori successu hanc curam exercuisse, tibi gratulor: Provectior ætas, quæ aliorum vires atterit, & rugis frontem exarat, novum tibi robur addidit & venustatem; adeo ut tibi obtigisse videtur rara illa humanæ vitæ conditio, Quod vivis, neque ad senectam vergis; & ne in minimis peccares, rogas judicium Medicum, quis liquor (nam mira hodiè varietas est) maximè proficiat, vel potiùs minus noceat, quòd ad Coffipolia subinde vocaris, vel ad negotia quædam peraganda, vel ad alenda hominum Commercia.

Apud

Apud Orientales in familiari admodum uſu ſunt hi liquores, quibus valdè conducere viderentur; uda enim illa & læta perſpiratio, calidioribus regionibus communis, neutiquam inhibenda eſt; tali potius ſorbitione ſuſtentari oportet. Pari jure poſt violentius quoddam exercitium, ambulationem aut equitationem citatiorem, calidis hiſce ſorbitionibus liberiùs indulgeas, quo pacto perſpiratio manat è toto corpore, nec niſi paulatim, teſtudineo quaſi paſſu, tandem aliquando ſe remiſerit; ſic omni ſuſcipiendo frigori quam optimè occurras, & parum aut nihil interſit quemcunque liquorem aſſumis, modò calidum; quod mediante tantum calore huic uſui inſervit.

Primo, *Liquor COFFEE dictus*, modò debita pulveris doſi imprægnatur, modò benè defæcatus, nec vetuſtate evanuit, neque iners, torpidus, aut effœtus audiat, ut generoſis liquoribus minùs aſſueti facile percipiunt, quin potiùs inter liquores blandè volatiles locum ſibi jure vendicaret. Ven-

Ventriculo frigido, craſſis viſcoſiſque humoribus colligendis prono, optimè inſerviat, & haud ſecus ac amariuſcula Stomachicum vocetur, quòd incidit & attenuat, quo pacto ad crapulam præveniendam egregium ſibi nomen comparavit, ſed bilioſis valdè nocebit.

Somnum arcet, conſequentèr diù in ſanguine commoratur, & ſpiritus miniſtrat, unde Comatoſis & Lethargicis utiliſſimus; quibus verò parcior & brevior ſomnus eſſe ſolet, neutiquam veſperi conſulendus.

Obeſiores ad macilentiam diſponit; iſtiuſmodi enim ſales, quorum index eſt amarities, abradunt & depaſcuntur; ſic macilentis minus congruus liquor.

Mulieres Arabes ſemper dum fluunt menſes hujus decocti ferventis multum paulatim ſorbillantes eorum evacuationem adjuvant, & quibus ſuppreſſi ſunt ad provocandum.

Scorbuticis, Cachecticis & Hypochondriacis hunc potum commendant nunnulli; ſat tamen virium

rium ineſſe vix opinor ad contumaces iſtiuſmodi morbos profligandum. Nimis frequens illius uſus exiccando nimium eſt nervis inimicus. Caput illud mortuum in fundis vaſculorum ſubſidens abominandum.

Secundò, Herba *THEE* inter herbas blandè Aromaticas recenſenda, iiſdem itaque virtutibus impraegnatur, aperiendo & diſcutiendo vires ſuas exerit, modicis tantum viribus Naturæ uſui magis accommodis.

Primatum obtinet contra Calculum, modò verum eſt quod gloriantur Chinenſes, Neminem, viz. apud eos Calculo obnoxium repertum ex quo illius uſus invaluit. Vias urinarias aperit & Diureſin provocat, omnibus notum eſt quibus unquam fuit ſorbillandi copia. Sic Calculo adverſari dicatur, quod arenularum globulos in Calculorum pabulum reconditos torrentis ritu abripit & evacuat, præcipuè ſi infuſio fortior eſt, quæ vel Diabetem timentibus, vel mictum ſangui-

ſanguinolentum paſſis, ſumma cautione evitanda.

Ad ſales è ſanguinis gremio evacuandos Diuretica egregiè conferunt; idem teſtatur urinæ ſalſedo. Sic morbis à ſale nimio oriundis adverſari dicatur hæc infuſio. Hanc opinionem confirmant Chinenſes; aiunt enim, quòd nunquam podagra corripiuntur; ſanguinem hac infuſione ſalibus ſuis ita orbant, ut tela deficere arbitrantur ad junctūras artuum obſidendas.

Sudores ciet, & ſitim levat; ſic febrientibus ipſis concedatur, capitiſque dolores à ventriculo nimis onuſto oriundos hac infuſione ſublatos ſæpè novi.

Si quis verò poſt hujus liquoris ſorbitionem intumeſcentiam in Abdomine ſenſerit, uti aliquando contingit, à copioſiori ſaltem illius uſu diſſuadendus.

Jejuni mane exeunt quamplurimi abſque vel minima alicujus incommodi ſuſpicione, tanta eſt conſuetudinis vis. Sin verò, Domine, aer morbidus eſt, vel cœlum humidius,

humidius, vel ſumma hominum frequentia circumfuſus eſſe debes, priuſquam egrederis cyathum unum & alterum hauriendum conſulo.

Hanc verò infuſionem ſaccaro edulcoratam minus probo, ſalis fixi miſcela cum ſpiritu volatili hujus liquoris, illius virtutes admodum imminuit, ſin minus penitùs aufert.

E duobus hiſce liquoribus unà commixtis, & idiomate noſtro *TWIST* dictis, ſi nihil boni emergit, nihil mali reformides.

Tertium tantum locum occupaverit *SALVIA*, quod peregrinis humani eſſe volumus; profiteri tamen audeo, modò tanti conſtitit, & tam longinquis oris nobis advecta fuiſſet, niſi præ modeſtia recuſaverat, primum ſibi locum vendicaſſet.

Summæ utilitatis eſt hæc Herba, ubi herbis Aromaticis opus eſt. Calefacit, Domine, neque ardor ſupervenit; diſcutit, nec virium lapſum pertimeſcas; aperit demùm abſque omni impetu & violentia.

Hoc

Hoc ſibi peculiare reſervavit, quod nullis nocebit. Aromatica quòd valdè exiccant copioſiori quantitate epota ſunt nervis minus amica: *SALVIA* verò minor acuta etiamſi Aromatica, habet tamen indolem balſamicam adeo admixtam, ut iſtud incommodi declinatur.

In morbis admodum acutis, febribus quibuſcunque ardentibus tutè ejus uſus concedatur. Morbis purulentam aliquam materiam è ſanguinis gremio amolientibus, uti in variolis & morbillis ſub forma poſſeti fœliciſſimè uti ſolet, quod talem eruptionem non tantum provocat, verùm etiam fœliciter ſuſtentat.

Verſiculus tamen iſte nec rythmo nec ratione celebris,

Cur morieris homo cui SALVIA
creſcit in horto?

Quartò, Sin minus arrident hæc ſimplicia, compoſitionem quandam *CHOCOLATAM* dictam tibi exhibent, non alimenti generoſioris

tantum, quinetiam & medicamenti titulo cohoneſtatam ; palato optimè blanditur ſua dulcedine, & modo rite conficitur, valdè nutrit ; tibi verò, Domine, quod pinguior es & nimium anhelus, non abſque injuriâ conſulenda.

Sin ades Coffipolia noſtra, Domine, tanquam valetudinis officinas, & liquores illos medicamentorum vicem ſupplere tibi poſtulas, medicamenti inſtar, *i. e.* rariùs uſurpandi, unum itaque eundemque liquorem ſemper ſorbillare non erit conſultum, quin potius alternis vicibus variandi, hoc pacto quando uſus exigat tibi prodeſſent, cùm efficàciam tollet frequentia.

Valetudini tuæ, Domine, multò meliùs proſpicias, modò tempus, hiſce ſorbitionibus deditum, aliò teris. Cogit hic uſus vitam nimis ſedentariam, Chronicorum morborum parentem. Fumoſo Coffipolio deliteſcere noli, cum foras in agris ambulare, & ſub dio verſari & Sol & Cœlum invitant ; ventilandus potiùs eſt ſanguis, nimio otio torpidus,

pidus, horis diurnis, exercitiis in aperto aere conſtitutis; ſic quando adveſperaſcit, innocuum illud temporis diſpendium admittatur.

Quòd natura hominum novitatis avida eſt, apud has tam rerum geſtarum quam gerendarum officinas animum tuum expleas & ſatiares. Unde tanta eſt iſtarum ædium frequentia, ut conjecturam, hanc facerem, ubi unus ad valetudinem curandam eò contendit, centum vel ad nova audienda vel ad nova ſpargenda illic conveniunt. Noſti probè me domos illas crebriùs frequentaſſe, ut conſuetudine tua frui liceret, cui ſum

Conjunctiſſimus.

EPISTOLA IV.

De haustibus matutinis generosioribus valetudini admodum injuriis.

Veneranda Domina,

FIlium tuum natu maximum haustibus suis matutinis etiamnùm indulgere plurimum doleo: post valetudinem nuper admodum perditam & profligatam, nec nisi ægerrimè instauratam, sperabam eum tandem aliquando cautiùs sibi prospicere voluisse; sin minus ad aliud vitæ institutum invitasset tam famæ suæ & existimationis, quam sanitatis ratio; officium tamen tam piæ tam venerandæ matri præstandum provocasset. Unus sum ex illorum Medicorum numero (si aperte loqui liceat) quibus longè gratius est provinciam Medicam declinare, ubi nulla benefaciendi spes

ſpes ſupereſt, quam repetitis, licet munificentiſſimis ſoſtris incaſſùm exercere, medico pluſquam humano opus eſt ei benefacere, qui præceptis monitiſque omnium repudiatis ſibi malefacere ſtudet. Sed nihil tam illuſtri Dominæ denegandum eſt; tam ſpectabili tum pietatis tum pulchritudinis exemplo obtemperare nemo unquam recuſaverit.

Rogas, Domina, ut quamprimum literis monerem, quos morbos accerſit hæc matutina indulgentia, ut frequenti impendentium morborum mentione, illius animum terreres. Utinam tam laudabile propoſitum finem ſuum obtineret.

Nullus morbus eſt cui obnoxium eſt humanum genus, quin peſſimæ iſtius conſuetudinis ſoboles audiat. Nonnullos ille ipſe eſt perpeſſus, reliquos propedièm imminentes expectet, niſi feſtinata mors ſtatim prævenit. Ventriculo cibis vacuo ingurgitare, appetitum proſternit, concoctiones lædit, ſecretiones inhibet, ſic Schirrhos, Scor-

butum, Icterum, Hydropem inducit.

Peracta in ventriculo tragœdia, visceribus bella intestina ciet, fluxus ventris, dolores colicos, passionem Iliacam, morbum Choleram, Dysenteriam, flatus Hypochondriacos accersit.

Post totidem in primis viis incommoda ab intempestiva spirituosorum liquorum indulgentia oriunda, sæpe sanguinem in orgasmum concitat, quo pacto Febres, Erysipelas, Phrenitis, Apoplexia, uno quasi ictu necem inferunt. Sæpe sanguinem prædatur, spiritibus suis orbat, inde Tabes, Cachexia, virium lapsus supervenit, & deliquium animi subinde recurrit.

Vacuis venis commissus generosus liquor pectori admodum est inimicus, quod Asthmata, Pleuritidem, Peripneumoniam & Phthisin jubet; Hæmoptysin verò quasi jus suum sibi vendicat.

Longius serpit hoc malum, ipsisque nervis exitium parat; tum Spasmi, Tremores, Paralysis, Convulsiones,

vulſiones, motus Epileptici hujus imprudentiæ conſcium ſæpiſſimè invadunt.

Artuum demum impotentia, podagra, gonagra & chiragra unà cum rheumatiſmo inter leviora mala recenſentur.

Fatendum eſt quod non omnibus omnia contingunt hæc mala, ſed plurima nemo vitaverit. Veſpertina intemperantia idem fecerit, hoc tantum diſcrimine, quod à matutina vinolentia citiùs invadunt morbi & certiùs intereunt.

Nec morbos tantum accerſit hæc conſuetudo, quin, quod peſſimum ſonat, omnem medelæ ſpem penitùs excludit; quamprimum enim vel leviſſimus affectus ingruit, & poculis genialibus abſtinere coguntur, vires ita deficient, ut inſtaurari nequeunt generoſiſſimo quovis Cardiaco propinato; crede mihi potiùs ex defectu virium quam ex ſævitia morbi migrabunt ad plures.

Quam præpoſtera demùm eſt intemperantia, quò plus bibit eò plus ſitit, quò fortioribus liquoribus

ſe aſſueſcit, eò magis vires concidunt, quò callidioribus utitur, eò magis friget; ſic omnia naturæ legibus præpoſtera ibunt.

Si quis verò (quod rariſſimè contingit) poſt fœliciſſima vitæ ſtamina, non obſtante hoc minùs cauto vivendi uſu, vitam protrahit, ſenectutem tamen immaturè approperat, non venerandam illam canitie & ſerena gravitate ſpectabilem, qua nihil mihi ſpecioſius viſum eſt, ſed turpem & morbidam, manu tremula, pede labili, memoria infidâ, effœtam & ſordidam: Unus tantum mihi notus eſt in numeroſiſſima hac urbe, cujus matutina vinolentia extremam ſenectutem paſſa eſt, mille aliis ipſo juventutis flore tumulo datis.

Quereris filium tuum, Domina, matutinis tantùm hauſtibus indulgere, queri licet proculdubio & veſpertinis; nondum mihi conſtitit exemplum alicujus mane immodicè bibentis, quin & veſperi ingurgitat niſi vinolento ſomno ſepultus; ſic malum malo cumulatius; ſcire verò

verò eum oportet, modo necessitas bibendi cogit, se posse tutius & diutius Baccho suo immolare vesperi quam mane, Cerevisiam qualemcunque fortiorem potius quam vinum, vinum verò potius quam aquas calidas, mane hauriendum.

Doleo profectò admodum quod eò imprudentiæ ventum est, quod filius tuus pessimæ huic consuetudini plurimum patrocinatur, & hoc pacto appetitum aliàs languentem provocari jactat.

Hoc patrocinium refellere admodum expediat, ne illius veneni contagium filium alterum egregiæ spei juvenem inficeret. Responsum erit multiplex.

1o. Quamdiù nobiscum in Collegio nostro commoratus est, & more nostro Academico abstemius vixit, appetitus neutiquam culpandus, sed sæpe animus in patinis fuit; quamprimum verò Londinum accersitus, & deplorandam hanc vivendi normam instituit, quantum mutatus, ipsius cibi nomen fastidium creat, tantillo vescitur, ut vix quicquam

comedere

comedere viſus eſt, illum ipſum ergo appello judicem, num tanti infortunii cauſa, ejuſdem infortunii remedium judicetur?

2° Quod appetitu optimo fruuntur, qui iſtiuſmodi calcaribus non utuntur. Sobrii ſunt maximè famelici. Verum eſt nunc temporis niſi hauſtui matutino indulſit, minùs cibum appetit; ſed ſi huic conſuetudini nunquam litaſſet, res longè aliter ſeſe habuiſſent.

3° Conſuetudo eſt quaſi altera natura, mos ei gerendus, nec à peſſima quacunque, niſi gradatim deſueſcendum eſt, nolo itaque ut filius tuus uno quaſi ictu abſtineret, ſed paulatim tam qualitate quam quantitate liquorum derelicta, à ſextario ad hæminam, ab hæmina ad dimidium, à dimidio ad hauſtulum paulatim deſueſcat: à Spiritu Vini ad Vinum ipſum, à Vino ad Cereviſiam generoſiorem, à generoſiori ad mitiorem gradatim recedat. (Nequaquam arcendus eſt à poculis cereviſiariis ſitim dementibus & jentaculum comitantibus.) Sic con-

consuetudinis cujuscunque incommoda tutissimè præveniantur; sed in posterum caveat, quas consuetudines contraxerit sanitatem spectantes, reclamantibus medicis.

Sed 2o filius tuus aureos sibi montes pollicetur ex vomitu post pleniora pocula subinde superveniente, & quasi per modum criseos morborum mineram eliminante.

Quantum hoc abludit à vero experientia sua testaretur, ex quo enim istarum Crisium frequentia invasit valetudinem minùs integram & ingravescentem animadverteret; non est molimen Criticum naturæ nutui obsecundans ad peccantem quemlibet humorem foras eliminandum, sed symptomaticum à ventriculo cibo vinoque onusto oriundum, eique supervenit, ut novum & peregrinum hospitem præ foribus adstantem ejusdem genii & indolis vicissim exciperet, locumq; concedat; sic clavus clavum pellit.

Tandem filius tuus haud facile adduci potest ut credat, haustus matutinos generosiores officere vale-

tudini,

tudini, quod medici ipsi & celeberrimi hac in re pariter indulgent, quod detrectarent indubiè modò sanitati obesse vel suspicaretur.

Si qui dantur medici huic usui indulgentes, ejusdem, vel potius magis criminosæ imprudentiæ postulandi sunt, dum meliora vident probantque, sed deteriora sequuntur. Neque eo nomine celeberrimi audiunt, nec ejusdem cum aliis imprudentiæ conscium deprehendi, vel crimen vel pœnam minuit.

Facilè mihi persuadeo, Domina, modò filius tuus pessimum illius morem aliquantulum intermitteret, ut cogitandi locus concedatur, quem vini ingurgitatio manè sumpta modo penitùs excludit, hoc ratiocinium invito eo assensum fidemque coget.

Sed neutiquam monendus est filius dum incalescit, sunt molliora consulendi tempora, post indulgentiam somno fugatam, consilium & acutius feriet, & altiora vestigia relinquet.

Aurora

Aurora musis amica, & etiamnum hæreo, num deterior est, sanitatis jactura, an temporis dispendium, τὸ πολυτελέστατον ἀνάλωμα, Theophrasto judice, præcipuè cum à teneris annis tam egregiam futuræ eruditionis & judicii spem dedit; quanta demum de illo concepimus omnes tacere cogor, ne maternum animum tam altè filii sui bonis invigilantem acerbiori ictu vulnerarem.

Si filius tuus patrimonio paterno opulentus fastidit literas, quavis exercitatione ludoque campestri utetur, multo mane expergisci, foras prodire, venatui indulgere addiscat, & fatigetur; juventutis enim flore fermentationibus admodum invalescentibus fræno potiùs quam calcari opus est. Tum lassus domum repetens accumbet mensæ non quasi invito, & ut olim quæstus est, præmaturis horis, non Embammate opus erit ab extremis Indiæ oris allato, ad stimulum ipsius *Apitii* nato, fames ei erit optimum condimentum.

Vereor

Vereor hæc incassùm dicta, quòd *ætas prima post tincturam voluptatis ægre alium colorem bibit*, testentur tamen propensum meum erga te animum, & ad omne obsequium tuum paratissimum, nunquam desinam pietatem & virtutes tuas suspicere & venerari.

Venerabundus tui Cultor.

EPI-

EPISTOLA V.

De Aquis Tunbrigienſibus Nephritico conſulendis.

Celeberrime Vir,

DOleo admodum me abſuiſſe ab urbe, cùm nuper me inviſere dignatus es. Relictas verò literas ſtatim poſt reditum ſervus tradidit, quibus jubes conſilium meum, num Aquæ Tunbrigienſes tibi proficuæ cenſendæ ſunt, cùm Nephriticis doloribus es admodum obnoxius, ſed cætera ſaniſſimus. Quas ſi modò ſuaderem (quod opinaris) rogas dein qua methodo, quibus præparationibus priùs adhibitis illarum uſum experieris. Quandiu demum illarum uſui indulgeas. Porrò polliceris (quod audire geſtio) te monitis Medicis quam religioſiſſimè obtemperaturum, quo pacto ſperatum eventum conſequaris.

Quòd

Quòd ad primum poſtulatum ſpectat, Domine, velim ut adeas quamprimùm Aquas Tunbrigienſes; nihil vel ratio ſuggerit, vel experientia teſtatur in calculoſis affectibus efficacius, modò facilè tranſeunt viis patulis excretioni dicatis, (quam fœlicitatem ſperare licet, etiamſi ἰδιοπάθεια hujus & alterius corporis omnem certitudinem tollit) ſin verò minus liberè effluunt, vel quaſi obice poſito ſiſtuntur, cane pejus & angue ſunt evitandæ. Eodem nomine non acidularum tantùm ſed & generoſiorum liquorum uſus interdicendus, data porta liberiùs indulgeas, ſed clauſis foribus cautius agendum eſt. Tanti ponderis documentum eſt in re Medica, ut ipſius *THEE* uſum frequentiorem tibi interdicerem, modò tantilla quantitate epota (quod nonnullis contingit) corpus inflari & intumeſcere ſentis.

Aptiſſimum bibendi tempus cùm Nephriticis doloribus es omnino vacuus, quod urgente dolore omnes partes ſeſe contrahunt & anguſtantur,

tur, quo pacto minus ſpei ſupereſt ad debitam aquarum evacuationem obtinendam.

Nolo autor eſſe alicui Nephritico dum paroxyſmo renum torquetur pellentibus uti: dant ſæpe atrociſſimos dolores, dùm ex latiori pelve nimis officiosè aut intempeſtivè adigant in anguſtiam ureterum, quæ ſunt partes exquiſitè ſenſiles. Hoc verò in caſu Natura optimâ occaſione uti ſatis provida ſibi relinquenda eſt, quæ per ſe ſatis pellet Urina à tergo urgente, *remedium ſæpe unicum nullum remedium exhibere*; aut ſi ſubſidium Medicum imploretur, viarum dilatatione & relaxatione Emollientium ope verſetur.

Res verò longè aliter ſeſe habent, modò calculus, relictis renum confiniis, mediante canaliculo prædicto, in veſicam nuper delapſus eſt, quod nonnulli quandoque advertunt, aliàs ex dolorum loco, aliiſque ſymptomatis facile dignoſcatur, priuſquam novum incrementum capeſſit, pellentibus & frequentioribus poculis indulgeat, ſpes enim affulget, modo cal-

culus Ureterum cava quam facillimo negotio tranſit, mediante Urethra, exitum ſatis idoneum inveniat; præcipuè ſi copioſiori ſero eluatur Veſica, cui calculus innatans micturitione frequenti torrentis ritu abripiatur.

Nolo polliceri, etiamſi Aquæ liberrimè effluunt quod ſummum eſt, te in poſterum Nephriticis doloribus ſemper vacuum futurum. Fermentum illud Gorgoneum dictum tam altas ſæpe radices egit, ut ſummo undarum cumulo elui nequit; vel ſi eluatur, novus ſucceſſor emergit, tibi præcipuè cui hæreditario quodam jure à patre deſcendit. Morbus, Domine, primorum vitæ ſtaminum comes, & una nobiſcum ejuſdem auræ vitalis ſocius, durante vitæ curriculo, eadem veſtigia premet, & non obſtante quovis conatu Medico ad rogum uſque comitabitur. Sed vias Urinarias quibuſcunque obſtructionibus, mediante acidularum potu, liberares, ſive muco, ſive pituita, ſive tartaro, aut arenularum globulis obſeſſas, quo pacto renes minus ſtupore afficiantur,

afficiantur, quem præcipuè damnat Beverovicius tractatu ſuo de calculo. Sic etiamſi non extinguitur ſpiritus ille Gorgoneus, illius tamen pabulum ſubtrahatur; præcipuè ſi ſequenti methodo obtemperaveris.

Quamprimùm Aquas advenis, omnibuſque ad uſum neceſſarium comparatis, proximâ occaſione datâ, te velim purgari; & potiùs binis vicibus lenes purgatiunculæ ſunt exhibendæ, quàm uno fortiori uti, ne humores non minus innocui, quam noxii, inde expurgentur.

Die binas purgatiunculas ſequenti Aquas Minerales propinandas ſuadeo. Incipe verò modica quantitate ſensìm & pedetentìm augendo, ſic pedetentìm pori corporis accommodentur. Sed cave ne ambulatione quavis violentâ teipſum incaleſcis, priuſquam frigidam hauris; à calore ad frigus nunquam debet eſſe nimis ſubita ſucceſſio. Et horâ ſolis ortum ſequenti, præcipuè diebus Cunicularibus, hoſce fontes adire aſſueſcas, alvinis fæcibus (ſi fieri poteſt) priùs egeſtis, & vacuo ven-

triculo, ut ſat temporis concedatur ad ingurgitandum pocula, & ad excernendum lotium, priuſquam inſtat prandendi tempus: quod tanti momenti eſt, quod ſi quid forte contingat, quod fontem tardiùs adire cogaris, prandium tardius ſumendum conſulo. Certò ſaluti confert non prandere, priuſquam acidulæ evacuantur, aut Urina exit colorata.

Si ventriculus acidulis onuſtis tumet, nec excerni queat, in illum diem abſtinere jubeo, neque fons ad plura pocula repetendus, priuſquam quæ modò ingeruntur, exitum invenerint.

Si per veſicam nondum evacuaſti aquas, quovis animi oblectamento utaris: anxietas animi retardaverit, quas hilarius ingenium facillimo negotio expediet; vel quovis corporis exercitio matures demùm illarum exitum, vel citatiore rheda, vel equo gradario potiùs quam pedibus domum reverte. Seſſio in equo muſculos abdominis, inteſtina, & veſicam comprimit, corpus validiùs

diùs agitat, quo pacto aquas promptius excerni, & ratio & experientia confirmant.

Post singula pocula ambulatio juvabit, sic circulantibus aquis quasi calcar additur, & expeditior egressus evacuandis facilitatur, nec sudare expediat, quod serum aliò diversum per Urinas parcius exit, *Artem unum, aliud Naturam exequi nunquam vel salubre est vel tutum.*

Quamdiù demum rogas, Vir Ornatissime, huic cursui insistendum est, non omnibus unum idemque tempus præfiniendum. Sed variari oportet juxta naturam morborum, juxta tempestatem anni, juxta habitum valitudinariorum; tibi verò Domine, Nephritico, sed cætera sano, aquarum Chalybeatarum usum suadeo per tres integras septimanas, sed quovis Octiduo leniter purga inter bibendum, alvus enim laxior asservanda est, & die quo purgas ab acidularum potu abstinendum est.

Sed objicias, Præclare Vir, diebus cunicularibus *magis operosa Medicatio* judicatur ex autoritate Divi Senis.

Quidquid verò, Domine, in Græcia tempeſtate Hippocratis ob torridum Sirii æſtum iſtiuſmodi cautionem exigat, apud nos *OCCIDVOS* injuſtus ſcrupulus audiat, ob æſtum nunc dierum nobis facile tolerandum.

Probabile eſt quod pluvioſa empeſtate acidularum vires admodùm minuuntur, quod gallis pulveriſatis non purpuraſcerint.

Quod ventriculus tuus neutiquam friget, ſemina nec nuda nec ſaccaro obducta ſumito, ſed iſtiuſmodi palati blandimenta repudiato.

Nec Regimen Diæteticum, durante hoc curſu, negligi oportet, ne quantum per medicamenta profeceris, tantum per alimenta retardaris: fuge ſalita, fumigata, auſtera, acerba & aromatica; vitanda quæcunque coagulationi apta, ut lacticinia & caſeus; pariter aſtringentia atque viſcoſa, cùm ægrè digerendis. Vini uſum penitùs interdictum nolo, ſed cereviſiam noſtram illupulatam præferendam ſentio; præ cæteris, cave ne opulentior fortuna ad luxum provocat;

provocat; potum verò ſubinde mutandum velim, multos inde nactos egregium levamen compertum eſt.

Renes neque nimiùm fovendi ſint indumentis externis, eodem nomine lecti admodum plumacei improbantur, ſupinuſque decubitus, & impensè ſudare noxium eſt.

Uti ſensìm & pedetentìm augendo incipis, ita ſensìm & pedetentìm minuendo deſine; ſic naturæ tramiti obſecundas.

Quoad animi Pathemata, ὑδρεγπότης Tunbrigienſis ſit curis vacuus & mœrore ſolutus, nec libris aut ſeverioribus cogitatis intentus, ſolitudinem Zoilumque fugiens; ingenium ad inculpatos aliorum mores & vota obſequio promptum, exporrecta frons, tranquillus animus, vel potiùs ad alacritatem compoſitus, illa enim animi alacritas, cui omnes innocuè indulgeant, ſpectatæ morum probitatis comes, non tantum commodioris valetudinis, ſed & diuturnioris vitæ fœlicitatem nobis pollicetur.

Comedendi, dormiendi, & exercitandi horis lætiorem animum Me-

dicina ſuadet. Fac copiam, Domine, ut in illius conſilii cumulum adderem, quod non minus opportunum eſſe perhibetur, ipſas, *viz.* Medicandi horas hilariori genio tranſigendas.

Hæc ſunt quæ tua intereſſe exiſtimo. Prolixior fui quòd fidem dederas obtemperare.

Circa generationem calculi nolo, Domine, te fatigare. Tuâ nihil refert quomodo generatur, ſed quomodo tollatur. Formam ſuſcipit inſtar tunicarum alliorum, cortices ſuperinducuntur corticibus, ſic calculus concreſcit adunatione crebrâ.

Mirari ſatis nequeo quid eſſet in cauſa, quòd Autores unanimi conſenſu tantum medicamentorum Catalogum recenſerent, quæ Lithontripticorum titulo inſigniuntur, cum nihil ſunt niſi Urinas pellentia vel emollientia. Fatendum eſt non abſque ſuſpiriis medicamentum *Lithontripticum* dicendum nondum nobis innoteſcit, & quantum prudentia Medica prævidere queat, tantum Corroſiva ſunt, quæ id muneris

muneris exequi valent, quæ tanta quantitate aſſumi nequeunt, ne remedium ipſo morbo pejus audiat.

Mone me quamprimùm, Vir Inſignis, ab Aquis Tunbrigienſibus redis, ſi quis querelæ locus, ut tempeſtivè ei obviam occurrerem; ſin minus, ut gratulatum accedam; probe enim noſti nihil mihi carius futurum integrâ tuâ valetudine, cui invigilare non deſinam, quòd ſum

Tibi Devinctiſſimus.

EPI-

EPISTOLA VI.

De Thermis Bathonienſibus uxori nondum gravidæ conſulendis.

Vir Egregie,

UT poſtulatis tuis ſtatim ſatisfacerem, quod officii mei eſſe duxi, quod non minus in expediendis conſiliis quam in collocandis beneficiis, bis dat qui cito dat, adornabam quamprimùm conſilium, ut expectationi tuæ, quantum in me erat, gratificarer.

Rogas, Domine, num uxori tuæ poſt elapſum à nuptiis, aliàs auſpicatiſſimis, quadriennium nondum fœcundæ Thermarum Bathonienſium uſus conſuletur, quoto menſe Balneatio commodiſſima cenſeatur, quamdiù illo madore irrorandam eſſe velim, quibuſque Pharmacis internis externam illam macerationem

nem adjuvantibus uti hortarer atque ſuaderem.

Non eſt, Domine, quod ingeminatis toties ſuſpiriis uxor tua conquereretur illam nondum concepiſſe; bono lætoque animo eſſe potius juberem, ex lætis arvis lætiora ſata, quò minus læta ſunt minus ſoboleſcunt.

Iſtiuſmodi animi genius gemibundus amplexum illum Aphrodiſium aliquantulùm interturbaret. Furtiva Venus ut plurimum concipit non ob pœnam tantum, ſed & ob ſalaciorem Veneris libidinem quâ æſtuant, cui nihil magis contrariatur quam animi mœror.

Iſtiuſmodi minus prolificum temporis intervallum fœcunditate poſtera ſæpe compenſatur, haud ſecus ac arbor aliqualem aeris inclementiam paſſa, paucis quandoq; annis fructu minus fœta perhibetur, ramos demum uberiori fructu gravidos, eorumque pondere nutantes feret.

Neque illam ipſam fœcunditatis expertem facile judicaret Uxor, quod

quod elapſo quadriennio nondum concepit, hodiernus Galliarum Rex matrem habuit non niſi viceſimo ſecundo poſt nuptias anno concipientem, & enixa eſt poſtea filium alterum hodiernum Ducem Aurelienſem.

Sterileſcunt mulieres ex variis cauſis, iiſque toto cœlo contrariis; conſequenter una eademque medicatio omnibus eandem opem implorantibus diverſa ratione prodeſſe nequit.

1° Sterileſcunt mulieres ex ſanguine ſterili, ſanguis ſterilis dicatur pingui ſuo balſamico oleoſo deſtitutus, & ſale ſuo volatili non ſatis imprægnatus, quo pacto non conformat ova fœcunda, aut fœcundo liquore implet; inde minorennis ætas ſterileſcit, in ætate provectis ſal volatile parens & faber omnium ita deficit, ut marceſcunt Ovaria: Eadem ſanguinis infœlicitas qualemcunque ætatem occuparet, & procreandis liberis inhabilem reddet. Hoc in caſu univerſi ſanguinis maſſa, defectu tali laborans, inſtau-

randa

randa eſt medicamentis internis, iiſque copioſè propinandis, donec balſamo condita, & ſale volatili imprægnata ſatis evaſerit. Ad hunc finem obtinendum Thermarum uſum viribus imparem nemo unquam dubitaverit.

Uxorem verò tuam, Domine, nullo iſtiuſmodi defectu laborare mecum ſtatuo, quòd menſtrua tempore debito, colore & quantitate debitâ ſemper effluunt, appetitus neutiquam culpandus, alvus officii memor. Externus corporis color tam valetudine quam forma ſpectabilis.

2° Sterileſcunt mulieres ob pravam partium generationi inſervientium conformationem, quod in abditiſſimis latent, & oculatiſſimam medicorum aciem fugiunt, meritiſſimum tum mœroris tum querelæ locum nobis ſuggerit, quod iſtiuſmodi Dominas organico infortunio correptas, non niſi commiſeratione ſublevare valemus. Uxori tuæ iſtud infœlicitatis non obtigiſſe, ſperare licet, polliceri tamen nondum audeo: Æthiops lotione

tantum nigredinem ſuam exuet citius quam tale infortunium balneatione corrigatur.

3° Sterileſcunt mulieres ob nimiam pinguedinem, tubæ enim & teſticuli nimia pinguedine obſiti ab officiis ſuis feriantur. Conſilio ſuper hac re minus opus eſt, quod à caſu noſtro tantum diſcrepat.

4° Sterileſcunt mulieres ex impotentia mariti, ſed talis impotentiæ neutiquam poſtulandus es, vereor potius quod ſis intemperantèr Venereus; ſic ſemen tuum eſt aquoſum dum non ſufficientem moram nectit in teſtibus emittitur priuſquam ſatis elaboratur, unde irritum œſtrum illud venereum, vel ex minus congruâ ſeminis indole, quo pacto ſubinde fit, ut Vir prolem ſuſcipit ab una muliere nec ab altera, & mulier vice verſa. Ineunt quandoque matrimonium viduus & vidua numeroſa prole utrinque beati. Extiterit tamen uxor fœcunditatis expers, quod non omnia fermentantur ab omnibus. In his caſibus Thermarum uſus nullius momenti.

Remedium

Remedium hactenùs desideratur.

5° Sterilescunt mulieres & frequentius ab obstructionibus uterinis. Quibus mulieres admodum obnoxiæ sunt vario nomine.

1o Ob multiplicitatem illarum partium in extremis corporis trunci hospitantium à corde remotarum.

2° Ob defectum exercitii, otio & quieti indulgentes, sic circulatio sanguinis in partibus illis remotis minus rapida perhibetur.

3° Quod fæminæ valde deditæ sunt alimentis crassis & viscosis, nec potant vinum ad crassiorem diætam adjuvandum.

Etiamsi sanguis sit admodum fœcundus ad Ovaria genitali succo fœta suppeditandum, licèt vascula tam multiplici serie disposita neutiquam vitio quovis organico laborant. Maritus & uxor sint optimè instructi ad res Venereas transigendas, utero tantùm obstructionibus laborante, quo minus officio suo defungi queat, amplexus in nihilum recidit.

Modus conceptûs humani stupendum sanè opus videretur. Actu

Venereo

Venereo partes genitales ſpiritu turgent & inflantur, fimbriæ illæ tubarum appendices ab Ovario ſejunctæ, ruunt tamen in illius amplexum, ſuiſque veluti digitis comprimunt, quo pacto ovulum debitam maturitatem adeptum, (quædam enim immatura deprehenduntur, & quædam ſubventanea) haud ſecus ac fructus maturus ab arbore deciduus, de nido ſuo decidit (bina ſunt ubi gemellos pariunt) ſed relictis ſociis iter inſtituit admodum flexuoſum, tubarum ambages permeat, tandemque aliquando ad Uteri cavum pervenit, ubi auræ vitalis ſeminis maſculi congreſſu læto fœcundatur. Si in tam diverſa partium fabrica à carceribus ad metam vel obſtructio contingit, irrito conatu ſudes.

Hiſce obſtructionibus reſerandis plurimum conferat Thermarum uſus, illarum calor penetrationi inſervit, qua mediante obſtructa loca facilius adit, ſulphur quo diteſcunt Balnea (præcipuè Aquiſgranenſia, ut illius odor plateis ambulantibus

bulantibus quàm facillimè percipiatur) ductilitatem partium introducit, quo pacto obfequiofi fiunt pori ad circulum fuum renovandum; macerationis demùm ope folennem Thermis moram infequentis, calore viam monftrante, & fulphure poros adaptante, humores, qui anteà velut aggere pofito immobiles hærebant, folutis carceribus, libertatem aufpicatò fibi vindicaverint. Quo pacto tam illuftre nomen comparavit Balneatio ad Paralyticos reftituendum, ad dolores Ifchiaticos fedandum, ad Schirrofa vifcera emolliendum: obftructiones demùm uterinas inftar turris aheneæ impenetrabiles diutina tantum maceratione, quafi aureo Jovis imbre, ceffiffe compertum eft.

Rogas dein, Domine, quoto menfe balneatio commodiffima cenfeatur, tempeftate præfervida non nifi appetente Autumno; fin minus fervet æftus, nec ipfum Sirii adventum reformides.

Quod vires invalefcunt fatis, balneationem ftatìm elapfo fluxu

menſtruo incipiendam, nec niſi inſtante reditu interrumpendam ſuadeo, Thermopotatione per aliquot dies viam monſtrante, quam pillulæ aperientes cum uterinis conjunctæ majori fructu comitentur: ſic obſeſſo totidem & tam unitis viribus obſtructionum cumulo facilius expugnarentur.

Prolixior eſſe ſupervacaneum, quod conſulendi ſunt Balneorum medici, quorum judicio & experientiæ potius confidas, quod in hac praxi tam fœliciter & tam diu ingenia ſua exercuerunt, illorum itaque conſilio monenda eſt uxor, quale balneum ſeligendum eſt, qualis erit caloris gradus, quota hora ingredi oportebit, quamdiù permanſerit, & quid egreſſum ſequatur, quoties alvus ſollicitanda eſt, qualis eſſet ciborum delectus, quale exercitium admittatur, ex indicationibus inter balneandum deſumendis, & neutiquam hic loci prævidendis, tantum conſtabit.

Medeæ

Medeæ balneo non eſt opus, ubi juventus tam ſpecioſa corporis pulchritudine, quam inimitabili animi candore ſtipata majeſtatem quandam præ ſe fert, charam Deûm ſobolem pollicentem: fac itaque copiam, Præclare Vir, ut quod excidit verbis ſupplere votis annitar, ut uxor dilectiſſima fiat tandem voti compos, & Honorandam admodum familiam, tam Regi fidam, quam regno charam, auctiorem reddat & ornet.

Sin minùs conſilium aut vota ſuccedunt, acquieſcendum eſt, fiat voluntas Divina, ſeu prolem dederit ſeu denegaverit; cavere oportebit ne tibi aut uxori tuæ diſpliceat, quicquid placebit Deo, cujus patrocinio vos committo & commendo, quod ſum

Servus addictiſſimus.

EPISTOLA VII.

Num Matris vel Nutricis lacte commodius aletur infans.

Vir Clarissime,

GRatulor tibi uxorem gravidam; Lucina, fer opem ut fœliciter pareret, & nascatur proles tantis parentibus digna: neque est dubitandi locus, dum *fortes creantur fortibus & bonis.* Nec laudare desinam providam uxoris tuæ curam, quæ fœtui suo nondum in lucem edito prospicere satagit, dum in ambiguo versatur; num suo vel alieno lacte commodiùs & tutiùs aleretur infans, consilium Medicum implorat, quo demùm ubere illius valetudini quàm maximè inserviret.

Cum uxor tua, Domine, primo partu mulier est, nihil hac in re absque cautela universaliter pronunciari

ciari aut poteſt aut debet, ſi fœliciter paret atque purgetur, ſi vires non admodum proſternantur, ſi mammæ benè formentur, & turgent lacte nec valde tenui,nec craſſo, neque acriori, author atque hortator eſſem tam matris quam infantis gratiâ ut inemptis dapibus aleretur. Perſuaſiſſimus ſum nullam matrem & bellè valentem, & omnibus in alimoniam infantis neceſſariis inſtructam, quocunque nomine vel ſpecioſo quovis obtentu habito, ubera ſua denegantem, quin ſummi neglectûs ſin minùs delicti poſtulanda eſt.

Rogare licet cui uſui inſerviunt mammæ? vel Deus fruſtra condidit, quod abſurdum eſt; vel in elegantiam & venuſtatem corporis fœminei; ſed tum cui uſui inſervit lac in mammis contentum? Vel lactandis infantibus: & quibus? Proculdubio ſuis. Et provida Natura huic inſtituto optimè proſpexit, cum poſt puerperium lac in mammis copioſius generari aſſolet,quaſi ad novi hoſpitis adventum congratulandum,

non quod refluit ab Utero, quod contrariatur sanguinis circulationi, sed cum sanguis non consumitur in nutrimentum fœtûs, redundat in omnibus vasis maternis, consequentèr in mammis, redundans magis urget vasa & poros, sic vasa & poros mammillarum, quo pacto lac copiosius generabitur, dum glandulæ mammarum plus secernunt, quia plus in illas influit.

Sciat uxor tua salubrius matri futurum mammas copioso lacte distentas infantili suctu evacuare, quam exucca ubera permittere, vel medicamentorum viribus comparare.

Porrò, si in hujusce novi hospitis adventum exquisitas admodum epulas parare satagit pia Uxor, aperto gremio suo, plenis eum ulnis excipiat, mammas suas porrigat non alienas, & ut gratissimas sic & aptissimas infantulo dapes invenerit, quo enim quæso lacte commodius aletur infans, quam eo quod ex eodem sanguine generatur, ex quo fœtus in utero formatus & nutritus est; cum è contrario ex alterius indolis

indolis lacte (nec parum differre compertum eſt) infantuli valetudo nequit non periclitari.

Si uxor tua eodem amoris impetu rapitur in prolem ſuam, poſt puerperium, ac durante geſtationis decurſu, aut quod opinari fas eſt, ex tam pia & provida matre geminatus eſſe voluerit, præbeat ſua ubera, ſuctionis enim titillatu tam dulci voluptate perfuſa eſt mater, ut in amorem alumni quam ardentiſſimè rapitur; & fœmineum ſexum appellare audeo, quibus arbitris utrumque caſum expertis decernendum credo, quod magis diligunt alumnum de ſinu ſuo propendentem, quam alterum lacte conductitio nutritum; & poſteà experiuntur matres, liberorum ſuorum quos ipſæ non aluerunt amorem, erga nutrices quam erga ſeſe impenſiorem.

Si uxorem tuam commovet ſobolis ſuæ tum futuræ pietatis tum ſanitatis cura, quam nemo dubitat, cui innoteſcit ſpectata uxoris tuæ probitas, & conſpicuæ animi dotes, lacte ſuo ſuum alat, ne dum

alieno vescitur, alienis morbis aut vitiis adolescat.

Refert Helmontius mulierem octo liberos peperisse, unum è quibus alendum tradidit nutrici calculosæ, & iste infans posteà miserè illo morbo torquebatur, cæteris omnibus intactis, procul omni dubio nutrici debuit suam miseriam. Infantem concionatoris cujusdam Genevensis filiam à nutrice surda surditatem contraxisse nuperæ Episcopi Salisburiensis literæ tradiderunt. Eodem pacto latius opinione serpit infamis morbi nimis frequens propagatio.

Sed quod mihi plus horroris intulit, ne lacte nutricis vitia sugat infantulus, nihilque tibi acerbius futurum arbitror, quam si nutricis potius mores, quam uxoris imbiberet, spem superesse video, modo matres optimè moratæ nasciturae soboli ubera tantum sua lactantia præberent, priscæ pietatis vestigia pulsis vitiis de novo statim repullulascere, fœliciora tam temporum quam morum auspicia. Sin ita occalluit

occalluit temporum & morum impietas tanta temporis diuturnitate, ut nec emolliri nec eradicari queat, certò tamen impediat (quod optandum eſt) quo minus in pejus vergat.

Veniam dabit, ſpero, uxor tua, Domine, quod illa animi contentione & impetu illam conſulo, ut proprio lacte infantem ſuum alere dignaretur, cum ad publicam utilitatem haud parum intereſſe video, eoque magis urgendum ſentio, quod tam Illuſtris Dominæ exemplum plures ad alendos fœtus ſuos concitaverit, quam mille medicorum hortamina.

Velim tandem ut ſciat Uxor tua, nutrices mercede conductas, non tanta cura animi & corporis motum, cibum & potum, & hujuſmodi, eas præcipuè quibus res domi eſt anguſtior, quibus infanti obeſſe poſſunt, evitare, quam matres, quibus verè cordi eſt liberorum ſalus, iſta nutricum negligentia, improbitas, atque amor erga infantes quos alunt minus ſincerus, adeo

nota sunt, ut Græcis occasionem proverbii suppeditaverint, Καθάπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς, quemadmodum nutrices pascis male.

E contrario, Domine, si post periculosissimum partum (quem avertat Deus) Uxor tua prostratis viribus admodum languet, si lactificatio minus fœliciter procedit, alieno in tempus saltem lacte alendus est infans, si mammis aut papillis malè dispositis, vel illaudabili lacte infantis valetudinem periclitante laborat post puerperium, nutricem adsciscat, non minus mente quam corpore sanam, non torvam sed hilarem, ingenuam, pudicam. Verbo dicam; si talis ullibi comparanda est, matri similem, nec ætate longè disparem, cujus lac nec spissitudine incrassescit, nec tenuitate diffluit seri æmulum, sed quid inter utrumque probandum, cujus ubera sufficienti lactis copia distenta sunt, cujus demùm menses non fluunt, quòd more institutoque naturæ sisti debent.

Improbandus

Improbandus eſt quarundam Dominarum mos, formæ potius quam ſanitati ſtudentium, quæ dum ſunt prægnantes, earumque mammæ augentur, arctiore thoracis conſtrictione corporis gracilitatem inducere cupiunt, quo pacto tubulorum & glandularum ampliatio inhibetur, talemque lactandi impotentiam de induſtria contractam excuſare non audeo.

Fortaſſe Uxor tua grave & iniquum reputaverit ſemper domi detineri ad alendum infantem, quòd fœminæ ejuſdem conditionis ferre recuſant, ſemper noctu interrumpi ſomnum ploratu & lacrymis, nec niſi repetita ſuctione pacandis, inter ſordes & ſtercora quandoque conſpurcari nitidiſſimas manus, quæ levi admodum ſtipendio facile declinarentur.

Graviſſimum ſanè in initio, nec facile ferendum, niſi in amorem alumni quam ardentiſſimè rapitur, niſi carius nihil duxerit quam infantis ſui ſaluti invigilare, niſi quamcunque moleſtiam ferre maluerit, quam

quam infantis valetudinem periclitari, etiamsi verò primo intuitu molestum admodum videretur, ast ubi paululum impenderit operæ, ludum & jocum esse senserit, *optimum eligat, suave & facile illud faciet consuetudo.*

Nonnullas illustrioris sortis fœminas ab infantulorum suorum lactatione abegit suspicio quædam, quod passionem Hystericam accerseret, paucula sunt quæ istius suspicionis fidem aliquantulum labefactare viderentur.

1° Quod inter opulentioris notæ Dominas, nuperis annis, hoc malum admodum increbuit, neque imputandum est istud infortunium, quod nutriendis infantulis operam impendunt, cum quasi facto fœdere infantum suorum nutricatum alienis manibus demandarunt.

2° Quòd egenæ quibus inauditum est infantes suos alienis uberibus alendos tradere, quibusque aliorum cura ut plurimum demandata est, affectu isto rarissimè aut nunquam corripiuntur, non quod mecum

mecum reputo, quod pauperes iſtiuſmodi inſultuum frequentia immunes perſtant, quod mammas alendis fœtibus præbent (eſſentiam enim morbi neutiquam tangit) quin occupari tam animo quam corpore, provida rerum domeſticarum cura grato animo verſari, forſan iis aliquantulum conferat; etiamſi nolo tam injurius eſſe formoſiori ſexui ac decernere, quod frequentior iſtius morbi occurſus illarum deſidiæ, vel quod muſſitant alii, illarum cogitatis Aphrodiſiis minus aptè collocatis debeatur, profiteri tamen audeo quicquid τὸ occupari impedit, remedii locum neutiquam mereatur.

3° Quod iſte lactis proventus puerperii comes, quandoquidem omnibus & ſanis mira naturæ providentia competit, eodem naturæ ductu illius evacuatio Oeconomiæ Animali confert, quod naturalis ſin minus neceſſaria audiat, experientia conſtat, febris illa à lactis proventu oriunda, intenditur & diutius immoratur, ſi quando lac mammas

ubertìm

ubertìm ingressum non emulgetur, at illinc denuo repellitur, etenim decessu ejus non secus ac adventu perturbatio in toto corpore cum siti & æstu contingere assolet, sæpe inflammationes cum abscessibus in mammis parit, sæpe febres putridas & malignas accersit, cum spongiosa mammarum substantia officiosa nimis Topicorum applicatione plus satis constringitur, aut lac nimis confertim è mammis abigitur; neque quævis cautio medica tanta certitudine istiusmodi accidentia præcaveat, quam ubera crebriori suctu depleta.

4o Quod puerperis familiarius est hoc malum, vel huic obnoxias tunc temporis frequentiùs invadit, non porrectis mammis, sed vel accidentibus puerperium comitantibus, vel aliis morbis hoc pacto exacerbatis debetur.

Uno verò in casu infantis sui nutricatus vapores (ut vocant) accersat, *viz.* cum mater aut præconcepta opinione territa, aut voluptatibus unicè intenta, non nisi invito

invito & reluctanti animo id muneris exequitur. Quo pacto mœstitia animi hunc affectum induxerit, quem alacer & promptior animus facile prævenisset.

Sed quod literarum tuarum propositum infantulorum saluti & commodiori nutricatui ex prolixa tua benevolentia prospicere satagit, nolo aliquod officium declinare, quo tam laubabili instituto gratificari putarem, quo pacto nequeo non arguere consuetudinem quandam tam matribus quam nutricibus communem, infantulorum valetudini exitiosam, quibus familiare est molem quandam saccaratam sorbitionibus suis nusquam non commiscere. Inclarescat hæc opinio ex authoritate Celeberrimi Willisii tractatu suo de Scorbuto —— *Saccaro condita aut plurimum imbuta in tantum vitupero, ut illius inventionem ac usum immodicum Scorbuti in nupero hoc sæculo immani augmento plurimum contribuisse existimem. Concretum istud sale satis acri & corrosivo cum sulphure delinito constat,*

ſtat, prout ex Analyſi Spagyrice facta liquido patet, quippe ſaccarum per ſe deſtillatum exhibet liquorem Aqua ſtygia vix inferiorem.

Experientia compertum eſt, opulentiorum infantulis, qui iſtiuſmodi alimenta Saccaro gravida copioſius aſſumunt, torpeſcere, colore exangui pallere, & tanquam ſuccifis nervis, vigore inde omni & viribus deſtitui; plebeiorum vero liberis, quod ſumptibus parcere coguntur, vel ſaccaratis iſtiuſmodi cupediis penitùs abſtinent, vel rariùs aſſumunt, vivaces, vultu florido & robore ætatulam ſuperante: nec mirum, dum iſtiuſmodi palati illecebræ in adulta etiam ætate appetitum dejiciunt & viſcoſitates augent, nonne in infantili ætate cumulatius exurgat malum, ubi concoctionum vitia facilius contrahuntur, & quod dolendum eſt, ægriùs medentur.

Porrò infantulum avido mammarum ſuctu nutrimentum ſibi comparare longè tutius & ſalubrius viſum eſt, quam nutriri per offi-

ciosam

ciosam (ut vocant) nutricum manum, lac humanum quovis alio longe accommodatius censendum, conficitur ex cibis, ergo salubrius, infantuli admoto tantum ubere nutriti, necdum laborant vermibus, neque ob frigus horror ingruit, neque ob calorem æstus incitabitur, sed blandus ille & naturalis tepor ab humano corpore oriundus infantuli necessitatibus & ventriculo optimè aptatur, non ingestis ex indulgentia malè collocata adulteratur, non prægustantis nutricis saliva coagulatur, sed purum puta lac ex ipso providæ Naturæ gremio emanans, destinatum munus exequi valet, & in illius gloriam hoc dici oportet, quod humanis usibus exequendis *Natura* nec agnoscit parem nec superiorem. *Mammas*, itaque, *fontes corporis sanctissimos & humani generis educatores blandissimos*, unà cum Aulo Gellio appellare licebit.

Te, Domine, & Uxorem tuam quam officiosissimè saluto, vobisque fausta omnia & fœlicia animitùs voveo, necnon in bonum publicum

numerosam admodum prolem parentum virtutum hæredes, quo nihil majus exoptari potest, nihilque minus exoptari debet ab

Observantissimo tui.

EPI-

EPISTOLA VIII.

Num Tabido iter Menſpelienſe ſuaderem : In hoc morbo fontanellarum uſus examinatur.

Spectatiſſime Vir,

Generum tuum tabe confectum tot illuſtrium medicorum conamina eluſiſſe admodum doleo, nihilque ſpei ſupereſſe exiſtimant, niſi Monſpelienſi aere ſublevetur ; iſtud itaque iter ſuſcipiendum jubent, ſi valetudinem generi tui reſtaurandam curas, qua nihil tibi optatius viſum eſt ; & jure merito, dum non ſibi ſed aliis naſci videtur. Rogas ſententiam meam quod non ſum in Galliis hoſpes, num illorum concilio obtemperares, iterq; (quod comes illius eſſe volueris) ſuſcipere parares.

Faveo illorum opinioni (Vir Ampliſſime) iterque quamprimum adornandum conſulo , ne diuturniori mora eò contumaciæ invete-

refcat morbus, ut Monfpelii tumulum potius quam remedium inveniat, nec popelli fufurris aurem admove ad nectendas moras, ad alium atque alium Medicum accerfendum. Profectò penes medicinam vix effe exiftimo, quod nequeunt tot & tanti Medici.

Fatendum eft, Domine, fequor illorum fententiam, non quòd aer Monfpelienfis certum & indubitatum auxilium pollicetur, fed quòd eo pacto animo & confcientiæ tuæ certò & indubitatò fatisfacis, dum omnem lapidem moves, & omififti nihil quod literatum admodum concilium jubet ad illius ægritudinem abigendam: fic pacato tandem animo divina voluntate acquiefcas, & cùm nihil pejus accidere poteft omnia tentanda funt, & potius dubia quam nulla, & Celfo judice, *nihil refert quam periculofum fit medicamentum modo fit unicum.* Plus excruciabit animum tuum, genero tuo fatis conceffo, vel incertum quoddam remedium dictum omififfe, quam mille fruftranea tentaviffe. Sed

Sed deſperare veto, quòd ſpei aliquantulum ſupereſſe video, quod iter illud læto admodum auſpicio (quod & ardentiſſimè rogo) conficiatur, triplici nomine.

1º Benignioris aeris afflatu.

2º Corporis exercitio, mediante equitatione & aurigatione, orto.

3º Animi Pathematis, mediante peregrinatione, facile commutandis.

1º Benignioris aeris afflatu. Et benignior dici mereatur, modo morbo ſuo adverſatur, ædes tuæ ſuburbanæ, etiamſi quoad formam & elegantiam pulcherrimæ, quoad ſitum tamen minus ſalubres, tali tabido perhibentur, quod loco humiliori collocatæ (hoc majoribus noſtris ſolenne fuit, ne aprico, frigido aeri exponerentur, & ob faciliorem aquæ proventum) inde aer craſſior emergit, tabido minus commodus cenſendus; ubi enim humores craſſitie peccant, quo minus nutrimentum corpori largiuntur, uti in generi tui atrophia conſtat, ibi aer ſubtilior petendus, ubi humores tenui acrimonia

peccant, ibi aer craſſior fœlicius inſpiretur.

Sed omne aeris beneficium magis vel minus benignum deprehenditur ex uſu & conſuetudine, ut loca admodum paludoſa incolis ibi natis ſaluberrima ſunt, & diutius vitam protrahunt intra udum & molle lutum, quam ſi ſereniſſimo Galliæ Narbonenſis aere fruerentur: è contrario, ſi quis ab incunabulis fœlicem hunc aerem expertus eſt, & demum ad paludoſa migrat, ſtatim migrabit ex vita. Tanti momenti eſt aſſuetus aer, ut, autore Celſo, *neque ex ſalubri loco in gravem, neque ex gravi in ſalubrem tranſitus ſatis tutus eſt.*

Gener tuus ex quo vitam fœliciter auſpicatus eſt ad nuptias uſque ſedem habuit in excelſiori poſitam, nudo & aperto aere perflatam, à paucis verò retro annis, quibus minus ſanus & valens perhibetur, commoratus eſt apud te aere toto cœlo contrario, & verius nihil eſt, quam quòd mutatio aeris morbum ab aere oriundum unicè domat. Non eſt

eſt itaque temerè conſultum ad urbem Monſpelienſem petendum aeris mutandi ergô.

Sed 2° ad propoſitum peragendum iter ipſius itineris gratiâ non immeritò hortandus eſt gener tuus, mediante equitatione & aurigatione corpus haud parum exercitatur (inde Hypochondriacis primatum ferè obtinet) cujus adminiculo fermentationes modo languentes magis invaleſunt, quibus invigoratis humores corporis magis inciduntur & attenuantur, ſic craſſitie in tenuitatem converſâ minus obſtruuntur ; ſic extremis corporis oris fœcundum magis pabulum & nutrimentum ſublatis impedimentis ſuppeditetur.

Queritur gener tuus appetitum adeò languere, ut vel ipſiſſima cibi mentio faſtidium parit: augetur hoc malum, ſin minus oritur ex eo quòd extra ædium tuarum parietes vagari noluerit, & quòd eſculenta ex tanto domi tuæ apparatu officioſi nimis amici quavis ferè hora ſibi obtrudunt, ſed oblata penitùs ſordent, cum primum verò in Galliis iter

inſtituit, aprico aere perflandus eſt, & ſi quis unquam fuit, famelico, neque verenda eſt tanta cibariorum copia, minùs vero ut officioſè illi obtruderentur, potiùs hanc benevolentiam præſtabunt illius portionem comedere, Lari ſacrificant viatores & nihil relictum eſt niſi omnes ægrotant.

Navigatio intra Dorobernium & Càletas peragenda huic affectui plurimùm conferat, evacuatio illa, mediante Emetico marino, famem ſolet extimulare, quamprimùm navis appulſa eſt. Neque pertimeſcat gener tuus, etiamſi ſummam ægritudinem ſenſerit,quòd vento ſecundo paucis quibuſdam horistranſmittitur.

3o Invitat ad moliendum hoc iter frequens & læta occaſio pathemata animi commutandi. Oculus non magis delectatur gratâ objectorum varietate quam animus; jam ſolus domi deſidet mœſtus, querulus, gemebundus; amici (quos numerioſes vix milleſimus quiſque habet, aut meretur) ſubinde ſalutatum accedentes, madent perenni fletu, dum

dum conſolari oportet, animum haud minus quam corpus languentem dejiciunt, dum erigere ſtuderent; ſic officioſo adventantium amicorum luctu mens illius indies quaſi contabeſcit, certuſque videtur in tumulum apparatus, magiſque terret quam mors ipſa, dum gemitus & ſuſpiria tota vicinia perſonant.

Inter peregrinandum verò in Galliis præcipuè longe alia eſt rerum facies, perſonat omnis domus non ejulatu ſed quotidiano cantu vocum & nervorum, nocturniſque conviviis, non tam epularum varietate, quam hilariori accumbentium genio conſpicuis, & ſi talis erit quibuſcum vixerit, mœſtitiæ locus non concedendus, vultu hilari & læto quicunque eum excipient, nec polliceri deſinent quid velit (in honoribus vero & officiis decernendis nimii ſunt & tanquam prodigi) quicquid luctuoſum impendeat bene ſperare, bonoque animo eſſe jubent; ſive itaque cœli vel ſoli clementiæ, ſive frequentiori, ſed ſobrio vini uſui, ſive hilariori animi genio,

vel

vel unitis viribus tribuatur. Galli quam rariſſimè tabidi intereunt; quibus perſpectis iſtiuſmodi iter haud irritum futurum & credo & ſpero.

Velim, Domine, ut gener tuus ſe equo vehendum traderet, modico primum itinere, quale ferre poteſt valetudo adeò infirma, productis gradatìm itinerum ſpatiis, ne vires & valetudo periclitentur: caveat pariter ne uno eodemque impetu ſe vini uſui aſſueſcat, ſed paulatim diluendo familiarior fit uſus; vinum fucatum & auſterum fugiat, ſincerum quovis pretio ſibi comparet, intemperantiam vitare ut conſulem ſupervacaneum, qui ſobrius hactenus vixit, vix ebrius inter Gallos deget, populum temperantia digniùs quam novo veſtium artificio cultuque imitandum.

Sed parens tua, Domine, tam pietate quam ſenio veneranda in tam longinquam profectionem in hunc modum aſſurgit, Quorſum tanta molimina ad digitum Dei præcavendum? Animam efflare omnibus neceſſe eſt; & præfinitus eſt

eſt vitæ terminus, ultra quem quibuſcunque ſuppetiis Medicis prolatari nequit.

Veriſſimum eſt quod neque digitus Dei evitandus eſt, neque lethi occurſus, quod inevitabilis eſt vitæ terminus, neque diutius ope medica procraſtinandus, ſano ſenſu, *viz.* corporis noſtri machina tot tantiſque organis nititur, quæ progreſſu temporis & uſu ita atteruntur (uti in extrema ſenectute compertum eſt) ut diutiùs uſibus ſuis perfungi nequeunt; ſic agere, ſic vivere deſinunt, & quod omnibus iſtiuſmodi tempus ſuperveniet (nullo lethali morbo interveniente) ut ſponte ſua ruet corporis moles, iſtiuſmodi vitæ terminus certus & definitus dicatur, neque diutiùs, quod ad novam fabricam ſtruendam impares ſumus, quavis medicaminum ope fulcienda.

Citiùs vero & millies frequentiùs rumpitur vitæ filum accidentibus & morbis occaſionaliter ortis, quibus in caſibus tanti momenti eſt ſubſidium medicum modò maturè im-

imploretur, quòd mira hominum vis inter vivos esse non desinit, quibus nisi facultas nostra auxilium porrexerat, tumulo sepulta fuisset. E contrario millies mille tumulo dati, qui modo mediis Medicis tempestivé fuissent usi, animas nondum suas exhâlassent.

Exulat absurda illa opinio Mahumetanis tantum digna, quibuscunque periculis nosmet ipsos objicimus, neque citius neque tardius perimus.

Docet sacra Pagina in morbis abigendis media Medica sæpius Divina authoritate fuisse usurpata, quòd satis evincit, neque rem Medicam supervacaneam, neq; providentiæ neque vindictæ divinæ contrariam, & uti Divinæ Naturæ longe gratius est benevolentiam suis præstare, quam vindictam exerere, ita media Medica tam laudabili usui inservientia, non minus Deo grata, quam hominibus proficua censenda sunt.

Conamen nostrum nisi favente Archiatro irritum futurum lubenter agnoscimus; ergo tam Medici quam ægri

ægri ſacris implorandus, ne incaſſum exercemus; ſin minus annuit Divinus favor, ſubmiſſo admodum animo acquieſcendum eſt; ſin verò conatibus favere dignabitur; laus, honos & gloria ſibi ſoli tribuenda eſt.

Ità, Domine, nihil eſt quòd vel Medicina docet, vel Theologia jubet, me judice, ad prædictam generi tui profectionem diſſuadendam.

Rogas demum, Celeberrime Vir, num fontanellas in utriſque brachiis excavatas vel numeroſiores vel occludendas eſſe ſuaderem, obſervationem memoras in illarum patrocinium militantem: *viz.* dum plorant fonticuli, meliuſculè habet, quamprimum verò plorare deſinunt, redit languor; ſin ergo tecum reputas, quòd fonticuli tam læto auſpicio irrigui, melioris valetudinis cauſa judicentur, hallucinari videris, quòd verius affectus audiunt.

Fonticuli plorant, ergo bene valet; non verum eſt; ſed bene valet, ergo fonticuli plorant; fermentationibus enim

enim ſanguinis bene ſe habentibus (quod in valetudine ſolenne eſt) humores non deſunt qui per univerſum corporis ambitum propelluntur, ſic continuò deveniunt ad cutem ſauciatam.

Fonticuli plorare deſinunt, ergo languet, neutiquam conſtat; ſed languet, ergo fonticuli plorare deſinunt; & ratio mechanica idem docet, vacillantibus enim ſanguinis fermentationibus, ut in omni languore fit, humores tam parcè & lentè propelluntur ad extrema corporis, & conſequentèr ad fontanellas, ubi ſuas ut plurimùm figunt ſedes, quod neutiquam madent; ſic nil dant fonticuli quòd nil habent, nil habent quòd nil propellitur, nil propellitur quòd languet.

2° Quòd externis oculis vides aliqualem materiæ purulentæ quantitatem ex fontanellarum faucibus eructatam, conjicere volueris, non poteſt non conferre valetudini, corpus tam purulento hoſpite foramine facto exonerare: Sed

1º Obſervandum eſt quod pus illud foramen factum ſequitur, factâ continui ſolutione non minus in fonticulis inſculptis, quam in vulneribus boni moris fit puris acceſſus.

2º. Pus illud nil aliud eſt quam chilus ad partem illam nutriendam allatus, ut membra fonticulis inſculpta extrema macie confecta ſatis docent: medicamenta ſuppurantia dicta ſunt quæ chili generationem motumque modicum per partes ſolidas promovent, & humores quibus nihil chili eſt admixtum nunquam ſuppurant, teſte Canero, & ulceribus Venereis; tantum demùm abeſt, ut liberalis illa mediantibus fonticulis evacuatio Atrophiæ occurrat, ut, me judice, vel ipſam adaugeat vel inducat.

3º Terror animum ſubit collycias ſuas occludendi, quòd poſt illarum occluſionem tam numeroſi invadunt morbi, iique pejoris omnis & genii, quòd longe illi optatius viſum eſt lento paſſu contabeſcere, quam occluſis fonticulis

tam

tam graviter periclitari. Veriſſimum eſt quòd poſt occluſionem fonticulorum ſæpe incidunt in varios morbos ; nec minus verum eſt, quod ante occluſionem iiſdem corripiuntur, nihilque miri in ſe continet, quòd viri quibus ſolennis eſt fonticulorum uſus ut plurimùm ſunt valetudinarii, ergo niſi propter occluſionem illis morbis tentantur, umbratilis metus videretur : audi Helmontium, *Qui mille fontanellas incarnari juſſerat, quorum neminem pœnituit unquam.* Ratio dictat morbis quibus fonticuli prodeſſe non inveniuntur, illarum occluſio obeſſe vix ſuſpicaretur.

Sed, Vir Egregie, ne praxin à communi conſuetudine alienam obtrudere viderer, nolo ut gener tuus niſi conſentientibus Medicis valetudini ſuæ inſervientibus, rivos ſuos occludat, ex quorum experientia & judicio multa ſibi polliceatur, neque profiteri erubeſco, me malle, ut illorum experientiæ, ſin ita decernunt, quam ratiociniis meis fidem adſtruat, poſtulatis tuis amicitiæ

citiæ ergô deeſſe non potui, & aliena à cogitatis meis veritatis ergo reſcribere non volui.

Literis vos muniam, modo eas jubetis ad Celeberrimum Dominum Profeſſorem Monſpelienſem probum & peritum Medicum, quem nullo officiorum genere defuturum polliceri audeo.

Sit itaque fœlix iter, fœlicior reditus, fœliciſſima omnium conſpiratio, ad exoptatiſſimum finem aſſequendum Archiatrum Optimum Maximum quam humillime rogo, quod ſum tibi

Devinctiſſimus.

EPISTOLA IX.

De Capillitij usu, num confert sedandis Capitis doloribus?

Charissime Vir,

JUstissimus sanè querelæ locus est, quod tam contumaci capitis dolore subinde torqueris; præcipuè quòd & toties recurrit, & tanta pertinacia sævit, ut vitam immaturo quovis fato præreptam subinde optes. Demulcent in aliquale temporis intervallum Opiata, sed malum statim redit ingeminatum, post infinitam ferè medicamentorum farraginem quæ Vicinia vestra sumenda consuluit, vetustus dolor hæret. Rogas num Capillitij usus ad hunc affectum tollendum (quod omnium in ore est) consuleretur, & quo pacto id juvamen conferre perhibetur.

Re-

Responsum erit varium & multiplex.

1° Capitis dolor à diversis causis dependet, sic rationis imperio diversa remedia postularet. Panacæa hactenùs desideratur, medicamentum, *viz.* instar gladii Delphici, in omnem usum vertendum.

2° Capitis dolor vel debetur sanguini & humoribus ex crassa illorum indole subtilissima cerebri vascula permeare ineptis, & obstructionem passis, inde sequitur ruptionis periculum, & inde dolor; si in materia obstructa dominatur sal, dolor pungens est; sin verò acidum, est scindens & lancinans; modò oritur à flatibus, tum dolor tensivus est; si à materia tantum crassa & viscosa est dolor gravativus; si juxta notabilem Arteriam obstructio contingit est dolor pulsatilis.

Vel ipsis vasculis debetur, uti in inveterato illo capitis dolore Cephalæa dicto, ex oculari inspectione in cadaveribus hoc morbo defunctis reperti fuerunt cerebri sinus ad revehendum sanguinem dicati an-

gustiores, quo pacto sanguis vel ægrè transiens vel hærens, ansam huic malo dedit tam pertinacem quàm diuturnam. Hisce affectibus medendis impar omnis Capillitij usus, quod sublata tantum causa affectus cessabit.

3o Acerbissimus ille capitis dolor ab ulcere vel abscessu internam Palladis arcem obsidente oriundus, derasis capillis neutiquam levamen senserit, prærupta cranii rupes spongiosam carnis mollitiem minimè referens, quasi satellitio stipata, humoribus istiusmodi crassitudinem nactis per pororum foramina omnem egressum denegat, mediante vasculorum decursu ab intus ad extra fit omne commercium, quæ non minus densissima cæsarie quàm nudo capite fruticescunt.

4° Caput aliarum partium delicta luit, & à ventriculo aut visceribus malè affectis per sympathiam subinde dolorem patitur : remedium in hoc casu postulandum non capiti sed parti malè affectæ exhibendum, sic coma ascititia nullius pretij.

5° Dolor

5° Dolor capitis quoad situm variat: vel est internus, tum internis remediis levandus; vel est externus, tum externa subsidia juvent.

Jus itaque suum cuique tribuendum est. Nolo avem alienis plumis ditescere, neque suis fraudare; quibus hic capillitii usus prodesse queat paucis accipe.

1° Modò dolor capitis externus est, qui dignoscatur modò externo contactu exacerbatur, detondere capillos haud inconsultum foret, præcipuè si densum cæsarie caput est, quòd eo pacto spiracula ad humores per transpirationem evacuandos majora fiant & patentiora, quibus anteà occlusis iste dolor excitabatur, neque per totidem spiracula solet esse exigua humorum exudatio, substantiam tenacem, viscidam & ulceris æmulam mediantibus crinium poris pleno alveo exudare posse testatur satis Plica Polonica.

2° Qui post capillorum defluvium à suscepto facile frigore in frigidum capitis dolorem incidere

ſolet, autor eſſem ut vel capillitio utatur, vel aliis capitis tegumentis ejus vicem ſupplentibus, ut caput calore foveat, aliàs caput ex conſuetudine nimium fovendum non eſt, priſca enim Medicina docuit, *Capiti nihil æque prodeſt atque aqua frigida.*

3º Quorum madidi agreſtium in morem & impexi crines ſordido quodam ſquallore per collum ſparguntur, unde furfures Capitis mirè ſoboleſcunt, vel iis capillitium ſuaderem ad prævenienda illa capitis incommoda ab illius immunditie oriunda; vel potius exorandi ſunt, ut munditia non odioſa neque exquiſita nimis, ſed debita crinibus adhibeatur, ſic omnis illius mali occaſio adimatur.

4º In vitiis capitis ſubcutaneis, in omni genere ſcabiei, tinea & lepra, deraſio capillorum eſt neceſſaria; ſic enim Topica hiſce ulceribus adminiſtranda, remotis impedimentis, fœliciori ſucceſſu applicentur.

5° Et ultimò, Capillitium summæ utilitatis erit iis, qui aulico temporum genio obsecundare student, quòd ornatum non auxilium quærunt, talesque inveniendi sunt, qui huic capitis tegumento in formam & pluchritudinem comparando, inhiantes, leviusculum capitis affectum aut accusant aut simulant, quamprimùm & facti sunt voti compotes, omnes omnia bona dicere & laudare fortunas quod Medicum haberent tali ingenio præditum.

Pari jure formosissimus sexus tæniis suis triplici serie dispositis, cæterisque id genus capitis ornamentis patrocinaretur, neque minus sedando capitis dolore conferre affirmare audeo.

——*Quod tot compagibus altum*
Ædificant caput.

Derasio capillorum venienti Atrophiæ occurrere passim docetur, quod non minus in Oeconomia Animali quam in rebus Oeconomicis verum est, quòd parcimonia est

de essentia lucri, quo pauciores corporis partes alendæ venerint, eo uberius nutrimentum reliquis subministrabitur, partes illæ excrementitiæ dictæ sunt quasi corporis præda, dum nullus est ab iis ad sanguinem recursus, eodem nomine (quod veterenariis solenne est) caudæ equinæ amputatio clunium amplitudini ministrat. Sed Atrophiæ vel ex tenui nimis & seroso sanguine oriundæ, quod balsamo neutiquam condit, vel ex crasso & viscoso sanguine quod neutiquam attenuat; illis, inquam, Atrophiæ speciebus derasio capillorum neutiquam opitulabitur.

Novi sæpius hoc consilium à Medicis datum vel potiùs extortum, non quòd illorum ratiocinio aut experientiæ convenit, quin quòd patientes ex præconcepta opinione in iis spem suam & fiduciam collocant, quorum animis demulcendis non minus quandoque desudandum est, quam abigendis morbis, neque innocua, modò avidè petuntur, facile denegamus, dum eo

pacto

pacto quadam quasi benevolentia patientum animos ad medicamenta alia & præstantiora allicimus quasi & invitamus.

Quòd derasio capillorum admodum invalescit, quavis vel oculorum imbecillitate vel morbo; addam superpondii loco, quod vel alia medicamenta comitatur, quibus exoptatum finem consequitur, vel sperato successu caruit, neque rationi oppositum, vel quod ratio saltem esse videtur. Quod omnis oculorum imbecillitas vel morbus quocunque nomine indigitatur, vel est particulare oculi vitium à mala conformatione oriundum, vel sanguinis & humorum circulantium vitiis debetur, quod neque organum melius disponit, neque humorum circulantium vitia corrigit aut expurgat, remedii locum neutiquam meretur.

Monent demum literæ tuæ, quod usus es numerosâ medicamentorum farragine, ex anilibus fabulis depromptâ. Quædam fuerunt valde frivola, quædam valde absurda,

cætera verò adeo periculosa, ut morbum inde plurimum exacerbari neutiquam demiror: Miror potiùs quòd non morbum cum vita finierant. Longè tutiùs visum est quovis ægrotante obstinatè quæcunque Pharmaca recusare, morbumque suo genio duci permittere, quam illorum ministerio uti (consilio haud dici oportet, quod nihil non inconsultum est) qui rem Medicam illotis manibus tractant. Nonne longè optatiùs visum est ex sævitia morbi, ex naturæ legibus interire; Quam ex sævitia medicamentorum Empiricorum immaturo fato trucidari?

Sed novissimè ne potiùs tollere quam ponere videar: Si ab istius doloris pertinacia liberari petis, Venæsectio primum instituatur, quam indicant vasa tua sanguinea ultra superficiem cutis protuberantia, celebretur artu inferno, orificio latiori, quod crassior sanguis peccat, efluat ad duodecim uncias, quod copiosior est & vires admodum constant; sic quantitate illius imminuta facilius regatur

gatur Apozemate Cephalico methodo ſub finem ſchedulæ præſcriptâ. Malum tuum eſt internum, & generali ſanguinis vitio debetur, internis itaque medicamentis ſuccurrendum eſt, & copiosè propinandis, quòd ſanguinis maſſa corrigenda eſt, quòd caput eſt in extremis corporis; ſic medicamenta multum ſuarum virium deperdunt, priuſquam eò appulerint. Sequitur purgatio & agmen claudit ſudoriferum.

Sed dum hæc aguntur tempore opus eſt, univerſa ſanguinis maſſa non eſt uno eodemque impetu, ſed gradatìm repetitis vicibus corrigenda. Hoc præmonitum eſſe velim, ne medicum neceſſaria tantum huic ſcopo inſervientia meditantem, quaſi iniquiſſimam mercedem ex ſupervacua curationis mora captantem criminaris.

Quibus rite & fideliter obſervatis quòd tuum eſt, *Neque enim Medicus ſic ſe comparare debet ut faciat, quod facto opus eſt, ſed & ægri & adſtantes*, Hyppocrates Aphoriſmo omnium

omnium primo. Inveneris hanc medendi methodum certam, tutam jucundam, Capillitium pro arbitratu tuo vel tibi asciscas vel rejicias, quod in casu tuo neque proderit neque nocebit.

Sicut adhuc singulari cum benevolentia fecisti, amare perge

Amantissimum tui.

EPI-

EPISTOLA X.

De Hæmorrhoidum fluxu, quibus ſalutares audiunt.

Vir Digniſſime,

TE mira quadam animi lætitia geſtientem, & triumphantis in morem, quaſi in quemcunque morbum victoriam reportaveras ob Hæmorrhoidum fluxum nuper tibi ſupervenientem, docuerunt literæ. Eadem animi exultatio alios quoſdam morbos comitari ſolet, podagrici nonnulli ob ſpem ſenectæ longevæ inde creditam adventu primo ſibi ſolent gratulari, uxores gravidationi & proli procudendæ inhiantes, orto dentium dolore, & numeroſiſſima ſymptomatum caterva ſibi applaudunt, febris vernalis ad proverbium uſque quaſi Regibus tantum digna cenſetur, ipſa demum manantia ulcera ſuum patrocinium inve-

invenerunt, quo rationis & experientiæ jure quáve injuria, non erit in præſens dicendi locus, ne extra literarum limites, vel potius mandatorum tuorum vagari videar.

Lætaris admodum, Domine, te Hæmorrhoidum fluxu corripuiſſe, nec minus lætor profluvio iſto hactenùs me caruiſſe; juſtiſſimum tamen (quod mireris forſan) utriuſque gaudium, tibi læta eſt occaſio, ſanguinem tuum quantitate vel qualitate peccantem, apertis venarum hæmorrhoidalium oris exitum ſatis tutum ſibi patefacere; mihi lætitiæ locus eſt, ſanguinem meum ita conſtitutum iſtiuſmodi evacuationi anſam neutiquam dediſſe; tibi laudabilem admodum effectum ex illaudabili cauſa contigiſſe, mihi illaudabilem illam cauſam nondum obtigiſſe; tibi demum eventum fœlicem ceſſiſſe, mihi quod tali eventu non eſt opus.

Profluvii Hæmorrhoidalis cauſa neutiquam exoptanda eſt, nempe, ſanguinis craſſities & acredo, mediante craſſitie ſanguis minus fœliciter

citer ſuum circuitum abſolvit, ſed moras nectit, mediante acredine diuturniori mora aucta facile aperit vaſa, & molitur exitum; ſic acri & craſſo ſanguine evacuato hic fluxus tibi ſalutaris dicetur, nec mihi minus ſalutare viſum eſt, ſanguinem meum tam craſſitie quam acredine orbum, fluorem debitum ſuum & circulum conſervantem.

Hanc opinionem confirmare videtur hæmorrhoidum ex Aloe provocatio, ob inſignem ſuam acredinem vaſa quam facillimo negotio erodentem, acriumque Clyſterum uſus ſæpius repetitus eundem fluxum concitaverit, nec medicamenta tantum, quin & alimenta ejuſdem genii, ut multa comeſtio cœparum, alliorum, porri, & ſimilium, tale profluvium induxerint; præcipuè comitantibus animi Pathematis, timore, triſtitia, curis, vigiliiſque, craſſitiem acriori ſanguini inducentibus.

Conſiſtentis ætatis affectus ſunt Hæmorrhoides, juniorum enim ſanguis eſt magis balſamicus, & à fixiori acredine alienus. Si

Si ſanguis magis craſſitie peccat, tum hæmorrhoides cœcæ diutiùs tanquam in ſacculo pendentes, audiunt; ſi magis acredine peccat ſanguis, apertæ vocantur, ſic ſtatim exitum moliuntur, ſanguinem quantitate tantum peccantem, cæteris duabus qualitatibus excluſis hunc fluxum ciere minus probabile videtur.

Inde *Melancholicis*, *Lienoſis*, *Nephriticis*, ut priſca Medicina docuit, hæmorrhoides ſalutares audiunt, & omnibus quibus acer & craſſus ſanguis nimium dominatur, ut bonus eventus cauſæ malæ, taliſque ſanguinis intemperies fœliciorem evacuationem nuſquam loci invenerit.

Intemperies ſanguinis audit, cum certa illa proportio qualitate & quantitate particularum ſanguinem conſtituentium vel deficit vel ſuperabundat, ſanguis enim noſter non eſt humor uniuſmodi & ſimplex, ſed heterogeneus.

Sal calorem ſanguini largitur, ejuſque motum accelerat.

Spiritus

Spiritus activitatem donat, & velut pulvis pyrius craſſamenta quæcunque obvia in motum rapidiorem concitat.

Sulphur ſubtilitates illas involvit, ne in fumum abirent.

Terra volatilitatem nimiam reprimit.

Aqua demum ita diluit, ut abdiſſimos corporis receſſus liberè permearet.

Idem jubet alimentorum varietas, teſtatur Analyſis Chimica, & ipſius Oeconomiæ Animalis uſus poſtulat: hoc pacto cerebro miniſtrat ſpiritus, hepati bilem, renibus ſerum largitur, ſemine fœcundat teſticulos, ubera lacte diſtenta ſunt, os demum irrigatur ſaliva, hæ omnes particulæ quantumvis diverſæ, amicam tamen copulam & conjugium ineunt, mutuaſque navant operas, ut toti compoſito bene cedat: Sin verò particularum ſanguinem conſtituentium certa illa & juſta proportio nec deficit nec ſuperabundat, quin quoddam fiat quaſi æquilibrium Temperamentum ad pondus voca-

 tur,

tur, fœlicitas quæſita potiùs quàm reperta arbitror.

Hæmorrhoides *præſervant à Pleuritide, Peripneumonia, Phagadæna, & à furunculis Terminthis & Apthis, itemque à Lepra*, autore Hippocrate, ut plurimum iſtorum morborum cauſas evacuando eventus tam auſpicatus ſuccedit, ſed prognoſticum illud non ſemper reſpondet votis.

Interdum tamen nimium invaleſcit hîc fluxus, & eadem incommoda ſecum adducit, quæ cætera immodica ſanguinis profluvia ſequuntur, *viz.* Cachexiam & Hydropem, quandoque inflammationes & exulcerationes inducit, faceſſit moleſtiam cum acuto ſatis dolore conjunctam. Non eſt tamen ut hæc gaudium tuum penitùs interrumperent, quin potiùs ut temperent.

Rogas porrò, Domine, ut curioſitati tuæ gratificarer & mechanicè explicarem, quo pacto fit, ut Venæ tantum hæmorrhoidales ſanguinem ſuum hoc modo peccantem effunderent, cæteris venis penitùs occluſis.

Ratio

Ratio & varia eſt & multiplex.

1° Ob ſanguinem venoſum ibidem loci craſſiorem atque acriorem: ſanguis volatilior petit ſuperna, ſeroſior diluendo & macerando ſanguinis circuitum plurimùm accelerans tam renum miniſterio quam cutis cribris foràs amandatur, pars ſanguinis chyloſa atque balſamica nutriendis partibus impenditur, priuſquam eò appulerit, inde reliquus ſanguis neceſſaria cauſarum ſerie acrior, & craſſior evadit in extremis corporis oris.

2° Quòd ſanguis iſtis venis contentus aſſurgit ad lineam rectam, inde craſſi ſanguinis aſcenſus multò operoſior. Idem in pedibus œdematoſis obſervare licet, qui interdiu erecto corpore in miram molem aſſurgunt, cum verò in humum reclinamus, & pedes erigimus, vel noctu lecto commiſſi, faciliorem verſus cor recurſum experimur & tumor paulatim evaneſcit.

3° Ob tantam à corde diſtantiam ſanguis ægriùs molitur reditum,

quòd minori vi à tergo impellitur, ſic diutius in venis ſiſtitur, quas pondere ſuo & mole admodum diſtendit. Sic laborioſior aſcenſus eſt ob diſtenſionem vaſorum, & facilior exitus ob acredinem.

4° Quod cavitas eſt, ſic vaſa ſanguifera non æquè premuntur ab omni latere, ut in partibus ſolidis, ſic ſanguis craſſior faciliùs hæret, & acrior citiùs exitum perterebraret. Eodem nomine hæmorrhagia narium frequentior ſanguine acri & tenui, ſanguine verò acri & craſſo fluxus hæmorrhoidum.

5° Nixus iſte vehemens in durioribus fæcibus excludendis vaſa iſta hæmorrhoidalia prædicto ſanguine infarcta, non alia, ſuo tranſitu premendo, aliquantulum conferat; ubi craſſior eſt ſanguis, ibi omnia vitæ munia tardiora; ſic tardior alvus familiare admodum malum eſt hunc fluxum pati aſſuetis. Eadem ratione ob vim hiſce venis illatam mulieres quandoque ex difficultate partus idem profluvium patiuntur. Sic quæ non poſſunt ſingula, multa juvent. Etiamſi,

Etiamſi, Domine, conſilium ſuper hac re Iatricum ex profuſo animi gaudio expoſcere oblitus es, pauca tamen ex propenſo meo erga te animo monenda venerint hunc affectum ſpectantia, quibus obſervatis, valetudini tuæ fœliciùs proſpicias.

1° Hæmorrhoides cœcas, niſi maxime tument, & magnum dolorem inferunt, potiùs naturæ committere, quàm aperire præſtat.

2° Hæmorrhoides fluentes (niſi diutius perſeverat, aut ſæpius redit fluxus, quàm facile ferant vires) nullo modo cohibendas, ſed & iſtud naturæ molimen ſibi relinquendum.

3° Neque medicamenta neque alimenta hæmorrhoides proritantia ſumenda ſunt, dum Natura in ſuo opere perſiſtit.

4° Si dolore admodum ſæviente, externis ſubſidiis opus eſt, potiùs externis fotibus quam unguentis confidas.

5° Si morbus tibi impenderet, quo ſanguis educendus, & hæmor-

rhoides non fluunt, è venis ſedalibus admotis hirudinibus effluat, ſic artem Naturam imitari magis proficiat.

6° Cavendum tibi demum eſt ſedulò ne frigus contrahas in poſterioribus, inſidendo in ſaxo frigido aut terra humidiori, potiùs hæ partes fovendæ ſunt; in quem finem pulvillis inſide, ne tam auſpicata Naturæ Criſis in morboſum affectum degeneraret.

Superſunt tantum vota, ut fœliciter tibi cedat hic fluxus Criticus, tum ad valetudinem inſtaurandam, cum ad vitam protelandam, quòd ſum, Vir plurimum Colende,

Devinctiſſimus.

EPISTOLA XI.

De alvo aſtrictâ, quo pacto contrahitur & qualem medelam exigit.

Domine,

QUerelam nuperam tuam (uti juſſeras) detuli ad Celeberrimum Doctorem, ut collatis unà conſiliis, tibi, viro quàm mertiſſimè utriſque charo, opem Medicam imploranti, tutiùs & citiùs ſubveniamus.

Quòd alvus tua officii ſui immemor per triduum vel quatriduum exiſtit cauſarum varietati debeatur, originem ſuam quandoque debet temperamento corporis, quandoque vivendi generi ortum ſuum & incrementum, modò utriuſque cauſæ ſit combinatio affectum admodum obſtinatum inducent.

 1° Segnities

1° Segnities alvi ſegniori ſanguini debetur, unde incommodum eſt melancholicis familiare, quorum ſanguis quaſi Caput mortuum volatili ſuo oleo & ſpiritu orbatur, nihil miri in ſe continet, modò ſecretiones ex illius gremio inſtituendæ ſegniùs perficiuntur, bilis illa in fiſtulam inteſtinalem exoneranda ad excluſionem fæcum irritandum, vel ob craſſitiem ſuam promptuario ſuo aſſervatur, vel in ſanguinem regurgitat, unde Icterum accerſit, modo exitum patentem invenerit, adeò obtorpeſcit, ut potiùs quàm ſtimulat, moras nectit. Succus ille Pancreaticus fiſtulæ inteſtinalis madori inſerviens, quo pacto lubricitas alvi concitatur, vel parciùs ſuppeditatur, vel lentore ſuo & aciditate tali egreſſui minùs favet.

2° Academicum illud quod ornas vitæ genus (quod non niſi invitò culpare licebit, quod reipublicæ literariæ malè cedat, modò ſtudiis valedixeris) ſegniori alvo plurimum contribuit, non tantum impalleſcere chartis ſanguinem depauperat,

pauperat, quin & indeſinens illa ſeſſio, legendis libris ſolennis, quaſi obtundit prima illa alvi ſpicula, egreſſus fæcum prodromen, quo pacto inhibet dum auſcultare & promovere oportet, literati accelerandis ſtudiis incumbentes ſtimulantem dejectionem vel minùs advertunt, vel differre cupiunt; interim fæces indureſcunt, & ubi aliquoties ita fecerint, mox natura abierit in conſuetudinem.

3o Menſa aſtrictiori alvo plurimum confert, acida quibuſdam pro condimentis habita, multo magis acerba & auſtera culpanda veniunt; hoc (uti mihi videtur) nomine, quod iſtiuſmodi edulia cavitatum fibras contrahendo ita occludunt, quod iſtarum partium mador à Lymphaticis depluens ad alvum lubricam reddendum deſideratur. Vulgaris admodum inſtantia idem docet, poſt acerba aut auſtera aſſumpta os noſtrum totidem rivulis irriguum penitùs areſcit, lingua noſtra ineffabili quodam artificio ad motum condita quaſi immobilis per-

perſtat. Obſtupeſcunt porro & dentes ipſi omni ſenſu deſtituti ob vim nervis illatam, ſi talis conſtrictio in ore illorum maſticationem tantùm ſequitur, qualis ſequitur diuturniorem illorum moram in ventriculo & inteſtinis, vina & cereviſiæ nimio acido onuſta pari jure culpanda, nec non Aromatica & exiccantia, cibus ægre digerendus, ægriùs excluditur, fructus immaturi non tantum conſtipant alvum, verum etiam occludunt.

4° Nec culina tantùm, quin (quòd mireris forſan) & ipſa Pharmaca toties repetita ſæpe ſæpius hoc malum accerſunt, frequens purgantium uſus partium iſtarum tonum ita debilitat, ut alvus muneris ſui immemor remanſerit, niſi arte ſollicitatur. Peſſimus corporis habitus, nec niſi aſſueta purgandi frequentia facile comparandus. Violenta purgantia (qualia ferè nuſquam non ab hujuſmodi affectis deſiderantur) minus proficua cenſenda ſunt, profuſa iſtoc pacto alvus in parcimoniam degenerat, nume-

numeroſas admodùm ſedes ſequitur pertinacior aſtrictio; rogas quid fieri oportet, ſuo loco dicendum eſt.

5° Hoc infortunium ſæpe accidit Herniofis, quorum inteſtina debitâ ſede deturbata novum & inſolitum ſitum acquirunt; intra tales anguſtias unum & alterum facile comprimunt, qua compreſſione fiſtulæ inteſtinalis cavitas aliquo modo deleatur; ſi deletam cavitatem non ſequitur pertinax quædam obturatio, laborioſior ſaltem exitus concedendus.

Hujuſmodi (Domine) cauſarum inveſtigationi inſiſtere neceſſarium eſſe duximus, ut tibi plenè ſatisfaciamus quo pacto in talem affectum incideras, & ut remedia certiùs adaptentur: ſublatâ causâ tollatur effectus.

1° Auſteritas ſanguinis, cui ſemper comes eſt vexatiſſima alvus, edulcoratione eget, in quem finem Martialia egregiam opem præſtabunt. Eadem ſanguinis intemperies melancholiam accerſit, quo

morbo

morbo ſecretiones uniuſcujuſque generis ſegniores evadunt, copioſior verò illa (quam par eſt) ſeri præcipitatio per vaſa ſalivalia derivata melancholicis familiaris (ut plurimum ſunt Sputatores maximi) huic querelæ multum contribuit, facto enim tali ſeri ſanguinis diſpendio mediantibus oris canaliculis, ubi nimietate nunquam peccat, habent enim corpora arefacta, cæteræ ſeri collyciæ penu ſuo orbatæ madorem illum univerſo corpori & per conſequens inteſtinorum fiſtulæ largiri nequeunt; quo pacto fæces non tantum ſegniùs ex ſanguinis gremio ſecernuntur, quin, dempta inteſtinorum lubricitate, ex Lympha parcius ſubminiſtrata diutiùs quaſi cuſtodiis aſſervantur. Apozemata acidum domantia & univerſam ſanguinis maſſam perluentia egregiè conferent; non tamen citò effectum ſuum conſequuntur, ſed tutò, ſed jucundè.

2° Sedentarium illud quod inſtituis vitæ genus neceſſariò eſt interrumpendum, dum nuſquam ferè non

non aſſides libris, ſanguis tot moras nectit, ut parum abeſt quin ſtagnationem patitur, cum exercitium & apricus aer ſanguinem eventilant, illius circuitum accelerant, ſecretiones promovent, & impuritatibus orbant, quibus intùs coercitis de ſanitate conclamatum eſt, prima alvi ſpicula obſervato, & morem gere. Vis naturam tibi obſequentem, illius nutui quamprimùm obſecundare oportebit, aliàs ſpreta & neglecta recalcitraverit.

3° Hoc incommodum alvi ſæpe debetur culinæ, Aromatica exiccatione nimia, auſtera contorſione fibrarum, craſſa particularum ſuarum ſegnitie, in hanc claſſem referenda ſunt; conſtipata alvus huic menſæ apparatui debita talium tantùm uſum ſequitur, niſi tantâ frequentiâ ſumuntur, ut univerſa ſanguinis maſſa eorum viribus imprægnatur. Talia igitur evitare, qualia ipſa valetudinis ratio tanta experientia munita tibi jubeat, non eſt ut moneamus, liquidis verò frequentiùs quam ſolidis veſci oportebit.

tebit. Prunorum, passularum, & pomorum assorum usus subinde consulendus.

4° Nec culina tantùm quin & Pharmacopolium ejusdem imprudentiæ insimularetur, nimia illa purgandi frequentia spontaneas sedes tollit; sic natura quasi repudiata officio suo penitùs vacat, modò res eò processerit, gradatim desuescendum est, & loco fortissimorum purgantium, quorum tibi solennis sed minus laudabilis usus fuit, Electuarium hoc laxativum consulimus præscripto more sumendum.

Quantitas una vice sumenda sat viribus pollebit ad sedem unam & alteram educendam, nec pluribus opus est, modò fæces alvinæ exeunt, voti compotes sumus.

Summo mane sumatur, non tantùm ob fæcum cumulum noctu collectum, quin ut natura ad matutinas evacuationes subinde lacessita, easdem sponte sua demum exerat, in hunc finem opportunum esse ducimus, ut omni mane non minus inerti

inerti quam ſtimulante alvo, illam exonerandam moves, neque te deterreat quoſdam conatus irritos feciſſe, Natura tandem aliquando auſcultaverit.

Cavendum eſt ne nimis frequens ſit Electuarij uſus: ſuademus potiùs ut non niſi poſt tridui intermiſſionem ſumatur; ſic natura ſibi relicta munus ſuum fœliciùs abſolverit.

Nec regimine opus eſt dum ſanguinem vix ingreditur. Ita demùm compoſitum eſt hoc medicamentum, ut neque præſentes flatus, nec futuram aſtrictionem pertimeſcas, aquarum demum purgantium uſus Vere & Autumno conſulendus.

5o Cum aſtrictior alvus Herniæ inteſtinali debetur, artificio Chirurgi opus eſt. Ut inteſtina in debitam ſedem reponantur, admovenda ſunt ſubligacula ne iterum relabentur, quæ debent tam accuratè & arctè ſine preſſione claudere corpus, ut dorſum cultri non poteſt intrudi, poſteà regulas ſolutiorem alvum ſpectantes cum aliis obſervare tenetur.

Hæc

Hæc sunt illa (Domine) quæ peritia Medica (si tali vocabulo uti liceat) nobis suggerit, quæ amicitiæ jura præstanda postulant; sin minus optatum finem assequuntur, quod avertat! aliâ insistendum est viâ. Ad vitia sanguinis tollenda opus erit cursu medico, patientia tua & industria: utcunque se res habuerint, invenies nos quovis tempore, & quavis occasione quæcunque tua jussa capessere

Paratissimos.

EPI-

EPISTOLA XII.

An graviditas ex inſpectione Urinæ prædici queat?

Domine,

PRæfari expediat, Urinam ex ſanguine conſtare, quo, circulationis lege, ad renes appulſo, mediantibus illorum cribris, ſecretio ex ſanguinis gremio inſtituitur, & ureterum canaliculo in illius ciſternam depluit & aſſervatur, donec Urina quantitate vel qualitate aucta veſicam ad excretionem ſtimulat, eandem originem, eandem ſeparationis methodum, eundum demùm exitum utrique ſexui competere nemo dubitat. Quod indè deduci vellem, verbo dicam, quòd lotium ab ipſis gravidis excretum, nullum habet cum utero commercium, neque multum ſibi arrogaret Veſica, quod proximè adjacet, eo-

dem nomine inteſtinalis fiſtula idem jus ſibi vendicaret, & indubitata graviditatis ſigna non minus durioribus fæcibus quam tenuiori lotio deliteſcant; quod ſi vel ſuſpicaretur credulum & auritum vulgus, non tantum matulas lotio onuſtas, quinetiam & pyxides fæcibus refertas, graviditatis explorandæ ergô, ad hos urinarum negotiatores deportarent, quibus ſi manum admovere recuſaverint, nec gloriam, nec quæſtum indè comparabunt.

Graviditatem ex urinâ unicâ, cæteris quibuſcunque ſymptomatis excluſis, (aliàs hoc dogma non tangit) dignoſci quis opinabitur? dum nulla peritia medica urinam mulierum ab Urina virorum diſtinguere valeat; pallidiorem eſſe fæminarum urinam ſæpe accidit, ſed non ſemper, quod minùs exercitiis deditæ ſunt, quòd craſſioribus alimentis veſci ſolent, quòd vino & generoſis liquoribus minùs aſſueſcunt; ſed idem viris cachecticis, pituitoſis contingit; nec intactæ virginis lotium ab Urina prægnantis, dignoſci

dignoſci queat. Frequentiùs mingunt prægnantes, quod uterus mole auctus fundum veſicæ comprimit, ſic citius ad extretionem provocat; ſed organica illa uteri amplitudo urinæ veſicâ contentæ, graviditatis veſtigia imprimere nequit.

Qui οὐρομαντείας famam ſibi aucupantur vel inani conjecturâ utuntur, quæ ſunt ſemper incertæ, ſæpius falſæ, quandoque dum par aut impar veræ perhibentur, fœliciter cedit quod *Natura intellectus humani magis afficitur affirmativis & activis quam negativis & privativis.* Verulam. de augment. Scient. lib. 5. cap. 4. Sin itaque fallax Uromantæ conjectura vel ſemel auſpicato eventu famigeratur, plus increbreſcit rumor, quam ſi vigeſiès fallaciam prodit. Neque tanta eſt noſtrorum Aruſpicum infœlicitas ut ne caſu quidem unquam fiat, quod illi verum eſſe prædixerunt.

Sed quòd crebrius iis in more eſt, callidâ quadâm verſutiâ rem alitèr exquirendo indagantes, notitiam

ſuam Urinæ inſpectioni falsò aſcribunt. Sic famulorum miniſterio quaſi aliud agentium ſæpe expiſcantur ægrotantium circumſtantias, quibus hero ſuo communicatis Oraculis ipſis Delphicis certitudine contenderit; hoc faſſi ſunt magis ingenui, alii (quod agitur de pane lucrando) tacere coguntur.

Uxor quædam (cujus maritus de ſcalis deciderat & ægrotavit) arreptâ matulâ ad curioſum quendam hujus ſcientiæ artificem rectà contendit. Mulier querimoniis plena liberè expoſuit mulierculis juxta aſſidentibus lugubrem adventus ſui rationem. (Diu expectandum eſt priuſquam admittuntur, ſic major accedat veneratio, ſic fœliciùs captant occaſionem ſervuli, tam curæ quam quæſtûs participes, ad ægrorum morbos ex ore ſuo dignoſcendos, nec multâ calliditate opus eſt, quod mulieres, præcipuè ubi querimoniis locus eſt, non admodum taciturnæ perhibentur.) Ancilla juxta oſtium conſedens victum infantulo miniſtrans

ſtrans querelæ cauſam exaudivit, ſtatim illacrymavit infans, ancilla intùs ſe recepit quaſi ad ploratum illius abigendum, ſtatim quicquid audivit hero exponit, poſt diutinam expectationem mulier vocatur, quæ maritum ſuum graviter decumbentem conqueſta eſt. Uromanta ſui ſimilis, Non verbis opus eſt dixit, oſtende matulam, quâ porrectâ & Lynceis illius oculis viſâ, maritum ſuum de ſcalis decidiſſe affirmare auſus eſt. Tam inopinatæ veritatis mentionem mulier præ gaudio vix ferre potuit, unde feracem admodum occaſionem captat pro libitu ſuo comminiſci, & quod iis iſtiuſmodi dolis ſeſe immiſcere ſolenne eſt, præ cæteris ad comminiſcendum ingenioſi inveniuntur; ſic arreptâ matulâ & artificioſiſſimâ quadam dexteritate agitatâ ſibi tantum (ut dixit) peculiari: tanta inquit eſt peritia mea (quam imitari ſtudent plurimi, ſed nemo hactenùs repertus eſt mihi comparandus. Admirantur univerſi ſcientiam meam uromanticam, & quid

tantam admirationem mereatur? Non opus eſt ut mihi laudes tribuam, cumulum dabit univerſa provincia.) quòd ex inſpectione hujus urinæ pronunciare valeo ex quot ſcalis maritus tuus decidit, ex undecim ſcalis decidit. Mulier reſpondet lapſum fuiſſe graviorem, quod ex quindecem deciderat. Uromanta neutiquàm erubuit, quin ſtatim rogat, num omne lotium adduxerat quod maritus primâ vice excernebat? Negat mulier, quòd vitrum totum non contineret. Reſpondet alter eo pacto quatuor ſcalæ ſunt domi relictæ, deciès enim juravit tantùm undecim ex iſto lotio conſpiciendæ venerant. Mille iſtiuſmodi exemplis liquidò conſtat, quòd vel relationibus ab aliis communicatis, vel mendaciis quibuſdam ingenuis, Protei ſpeciem imitantibus, famam ſuam aucupatur hoc hominum genus.

Non tantum ambiguo vel obſcuro verborum artificio, aruſpicum more, quin & fortuitâ illorum interpretatione quandoque non admodum

abludunt

abludunt à vero, quo pacto ſcientiæ Uromanticæ gloriam intendunt.

Medicum adit ancilla, Dominæ ſuæ Urinam geſtans, & Medicum rogat quo morbo hera ſua laboravit. Peritus & probus Medicus reſpondet, repulſæ more, Putáſne me poſſe ex inſpectione Urinæ divinare, quot dentes in ore ſuo habet? Domum repetens ſerva, Dominam ſuam certiorem fecit Medicum dixiſſe ex inſpecto lotio illam fuiſſe edentulam, quæ mala verborum medici interpretatio ad amuſſim quadrabat cum rei veritate, erat enim præ ſenio dentibus orba, ſparſo pervagatoque rumore peritia Uromantica admodum inclaruit & juſtiſſimum meritis ſuis cumulum addidit.

Graviditatis indicia Urinarum inſpectioni falsò aſcripta, cùm neque fallaci quadam conjectura, nec callido famulorum miniſterio, nec quovis alio artificio expiſcantur, tum ſymptomatis vel enarratis vel extortis prægnantes concomitantibus deberi ſolent.

Cum animum ad Medicinam appuli, & in illuſtri Academia Profeſſores Practicos in viſitandis noſocomiis pro more loci comitari ſolebam (ad id enim honorario publico inſtituuntur, ut nobis præſentibus quibuſcunque conſilium implorantibus gratis adminiſtrarent) paupercula quædam marito juncta conſilium implorare accedens, queremonias inſtituit de vomitu ſubinde ſuperveniente, de nauſea & ciborum faſtidio. Medicus rogavit num ſubſtiterant menſes, ſed negavit. Contrectato pulſu & quæſtionibus quibuſdam additis, matulam petiit, quâ visâ, pauperculam gravidam eſſe pronunciavit. Urina fuit quam ſaniſſimis ſimillima, adſtantium ægrorum turba non pateretur illum tunc temporis quæſtionibus fatigari. Peracto itaque officio iatrico, unum ei ex intimis ad ædes ſuas dimiſimus expiſcari privato ſermone, quibus indiciis illius pauperculæ graviditas ex inſpectione matulæ dignoſci potuit. Subridens Profeſſor dixit egenam illam utero concepiſſe facilè

facilè credidit ex ſymptomatis ab illa recenſitis (fluunt quandoque menſes poſt graviditatem) illam opinionem confirmavit Urina tam naturalis & ſana, quæ non fuiſſet, modo ſymptomata priùs recenſita alteram originem habuiſſent. Eandem opinionem modeſtè aſſerit Gabelchoverus, *Si Urinæ in iis quibus ſuppreſſi fuerint menſes omni ferè labe vacarunt, & ferè ex toto naturales fuerunt, tunc conceptus ſpem has ipſas Urinas feciſſe; ſin vero præternaturaliter ſuppreſſi fuerint menſes, hoc ipſo vix fieri poſſe quin mutentur, & ſubinde tenuiores & pallidiores interdum ſimul craſſæ ac turbidæ fiant Urinæ.* Quibus obvium eſt, ſignis graviditatem pollicentibus hæc nota Urinaria deſumitur. Quibus inauditis ſive ſit Viri ſive fœminæ, ſive ſit prægnantis ſive intemeratæ virginis Urina, ne oculatiſſimus quiſpiam, niſi conjectura aſſequi valet.

Sed rogares, Domine, num urinarum inſpectio prorſus inutilis eſt?

Prorſus

Prorſus inutilis eſt ad graviditatem docendam, ſed magni momenti eſſe poteſt in quibuſdam caſibus, ſi ſimul ad ægrum voceris, vel illum prius rectè noveris, vel de morbo ejuſque circumſtantiis planè & plenè inſtructus fueris. Illius indiciis quandoque letho ægrotantes noſtros adjudicamus, quandoque ſalutem pronunciare valemus, quorundam morborum genium quibus cum ſanguine commercium (qualis Urina, talis ſanguis) notum fecerit: Criſin docebit, declinationem teſtabitur, modò cæteræ circumſtantiæ benè perpenduntur: aliàs nuda Urinarum inſpectio vel oculatiſſimum Medicum ſpe inani ſubinde lactabit.

Prudenter itaque ægrorum ſaluti proſpexerit Collegium Medicorum Londinenſium, quòd ſtatutis cautum eſt, quæ data fide obſervare tenentur, ut, *Nemo ſive Socius, ſive Candidatus, ſive Permiſſus conſilii quicquam impertiat ſuper urinarum nuda inſpectione.*

Prolixior

Prolixior fui, quod refellendis falſis quam profitendis veris plus temporis impenditur; excuſatum ergò habeas rogo,

Tui Studioſiſſimum.

EPI-

EPISTOLA XIII.

De Virginis cujuſdam Gallicæ triginta & quinque ſeptimanis ab omni cibo potuque abſtinentiâ.

Vir Egregie,

CUrioſitati veſtræ ſatisfacere utinam mihi datum erat: pro virili tamen contendam, ſin minus explere animum tuum tam rerum ſciendarum avidum valent humeri, nil tamen ferre recuſaverint.

Mirari ſubeſt mirum illud quod per literas memoras abſtinentiæ exemplum, ſed magis miratus fuiſſem, modo illius exempli veritatem indicio tuo certam & indubitatam affirmaveras, quod omnium in ore eſt ſæpe à veritate quam alieniſſimum eſt, quo pacto fit neſcio, ſed falſa latiùs vagantur & diſſeminantur,

minantur, dum vera domi latent, vel tantum repunt foras.

Virginem triginta & quinque ſeptimanis valetudine non admodum læſa omni cibo potuque abſtinuiſſe primò vulgata fama tibi innotuit, poſteà rerum hiſtoricarum quovis menſe concinnatarum typis paſſim legebatur.

Rogas num fieri id poteſt?

Si fit, fieri poteſt, & paſſim apud Autores occurrunt iſtiuſmodi abſtinentiarum exempla, imò totidem annis ab omni cibo potuque abſtinuiſſe vulgo traditum eſt. Iſtiuſmodi exemplorum numerus haud parcus exſtat apud Licetum Profeſſorem Patavinum, qui prolixè & operosè ex profeſſo egit *de his qui diu vivunt abſque alimentis*, & quod admirationem tuam auxerit, vel potiùs commiſerationem moveat, ut plurimum ſunt Virgines.

Sed rariùs nunc dierum vulgata ſunt iſtiuſmodi abſtinentiarum exempla, nec iniqua admodum ratio videretur, modò dixerim, quod rariùs creduntur. Uti olim obſervavit

Livius

Livius, *Prodigia multa nunciata ſunt, quæ quo magis credebant ſimplices & religioſi homines, eo magis plura nunciabantur.*

Hippocrates libro περὶ ἀρχῶν inediam lethalem eſſe cenſet, quæ ſeptimum diem excedit, cui aſcribit Macrobius; ſed Plinius aliique longius tempus aſſignant, ſed res iſta variat ex circumſtantiarum varietate.

Qui craſſo & viſcoſo ſanguine, quo pacto melancholici audiunt, laborant, inediam diutiùs tolerarent citra mortis formidinem, cum ij quorum ſanguis bile vel acido volatili uberiùs imprægnatur, citius ſuccumbunt letho. Neque corporum tantum quin & locorum varietas rem aliquantulùm immutaret, fumoſis urbibus quaſi invito ad menſam accedimus, cùm aperto & aprico aere provocamur, perflato Galliarum aere vel dejecti appetitûs rariſſima querela, iſtoque tam famelico aere nihil in diem unum & alterum appetere haud minus rarum eſſe deprehenditur, quam craſſo & eſculentis quaſi gravido in totidem hebdomadas ſaturari. Virgo

Virgo quædam Harlemenſis melancholia ſumma oppreſſa, tandem religionis quaſi œſtro percita, (juſſum enim cœleſtem,ni malè memini, commenta eſt) cibum omnem potumque penitùs reſpuebat. Parentes omnem lapidem movebant, nec parcebant ſumptibus, ad Virginis animum immutandum; Divini verbi præcones ſanctimonia & autoritate notos accerſebant quorum ſuaſu & precibus ſperabant illam tandem aliquando adduci, ut cibum capeſſeret & viveret; ſed illorum hortatum haud ſecus ac cibum ipſum penitùs averſata eſt. Medicos poſteà ad illam vocant praxi fœlices, qui ſtatim imminentis periculi monuerunt, ſed medicamenta alimenti vicem ſupplere ſibi obtrudi neutiquam pateretur, nec minus illorum conſilio aures, quam alimentis os obturavit.

Poſt mille technas incaſſùm uſurpatas, vel ut clanculum victum miniſtrarent, vel hortatu publico prævalerent, parentes tandem viciniæ ſuaſu ad prandium invitant

chariſ-

chariſſimorum amicorum gregem, quorum lepido & feſtivo ſermone ad capeſſendum cibum adduci poſſe ſperabant. Virgo mille amicorum precibus fatigata & tandem victa, accumbit menſæ, actis Deo gratiis, & mutua ſalutatione defuncta, ad prandium quàm ocyſſimè ſe parant. Virgo penitùs ſilebat, & viſa eſt tacitâ mente aliena revolvere, tam convivii quam convivarum negligens, poſt aliqualem temporis intercapedinem una ex honoratioribus, veniâ priùs impetratâ, guſtare incœpit, ſecum reputans, præguſtare aliis poſt tam famigeratam abſtinentiam forſan erubeſceret virgo, cum nos comitari vel ſequi vix recuſaverit, ſaporem juſculi mirè laudavit, guſtare iterum & ſæpiùs flagitat, & quaſi repulſam ferre noluerit, juſculum juxta illam apponendum curavit, quod quamprimum torvo vultu intuita eſt Virgo, quaſi cacodæmone quodam exagitata, exporrectis utriſque manibus & in ferculum iteratis vicibus conjectis, accumbentium facies,

cies, aſſidentium veſtimenta, totius menſæ ambitum miro quodam ſtillicidio irroravit, quaſi non minus ægrè illorum eſum, quam illi illius inediam, pateretur. Sibi demum relicta, eodem propoſito perrexit infælix Virgo, donec illuxit decimus tertius dies, quo vitam morte commutavit.

Refero hanc hiſtoriam, Vir Eximie, quod vitam abſque alimentis diuturniorem neutiquam credo. Miror potiùs illam tamdiu ſupervixiſſe, corpus noſtrum in continuo fluxu eſſe, continuoque ejus aliquid diſſipari & abſumi, & propterea alimentis quibus id quod abſumitur inſtauretur, indigere, Veſtalis ignis noſter appoſito jamjam foco aliquamdiù ſcintillaverit, ſed non niſi ſubminiſtrato ſubinde ligno continuabitur, parum admodum quo minus extinguitur, inhiberet, ſed nihili nullæ ſunt affectiones.

Ægros quoſdam, morbis tum Chronicis tum Acutis correptos, vitam protraxiſſe vel parciſſimi alimenti uſu novimus, ſed inter ali-

quid & nihil eſt magnus hiatus.

Septem abhinc annis Maniacus quidam Harlemi ædibus pro deliris incluſus, *Dol-huys* vocatis, Sacroſanctum Salvatorem ſuum quadraginta dierum jejunio imitari voluerit, cibum quemcunque oblatum repudiavit, & potum, niſi aquam ſimplicem, quam affatim hauriebat: Fuit etiam & peti amantiſſimus, cui liberiùs tunc temporis indulſit, & Indorum inſtar nicotianâ famem ſolabatur & ſupervixit, aquâ ſimplici (hirudinum more) & peto aliquale vitæ ſubſidium miniſtrante.

Viri mente capti diutius aliis abſtinentiam patiuntur, quod latrantis ventriculi ſtimulos minus advertunt, & hîc uti in re militari prima coitio eſt acerrima, poſt diuturniorem inediam vel minus laceſſuntur ventriculi fibræ, vel laceſſitæ minùs ſuo funguntur officio.

Sed urges, Domine, in hujus abſtinentiæ patrocinium virginem hanc antedictam neque lotium excernere, neque excrementa. Ratio dictat, quo minus eſt corporis diſpendium,

ſpendium, eo minori inſtauratione opus eſt ; ſic ubi diſpendium plane nullum eſt ibi inſtauratio nulla exigatur. Sed quid ſi ſerum intra ſanguinis confinia continetur, nec exitum quærunt ſcybala durante tanto abſtinentiæ intervallo ; ergo nullum eſt corporis diſpendium ? Conſequentia potiùs nulla eſt, dum pori corporis aperiantur. Porro uti memoras ſudore ſubinde diffluit, nec deſunt purgationes menſtruæ ; ſic parciores evacuationes tantum ſiſtuntur , copioſiores verò permanent, majus enim eſt humani corporis diſpendium per inſenſibilem tranſpirationem tam accurate ab experimentis Staticis obſervatam, quam per cæteras quaſcunque collycias, ergo inſtauratione indiget nec parca nec infrequenti.

Tandem poſthabito rerum naturalium ſcrutinio ad ſacram quaſi anchoram te recipis & providentiam Divinam in ſubſidium vocas, eandem illam providentiam haud temerè ſuſpicimus & veneramur, nec minus conſpicua eſt Providen-

tia Divina rebus naturaliter conſtitutis & conſtantem ordinem aſſervantibus, quam extraordinariis humanæ mentis aciem ſuperantibus. Verbo dicam,haud minus inclareſcit Providentia Dei quòd quotidiano victu reficimur & vivimus, quam quòd victum in humanæ vitæ ſuſtentationem conditum denegamus, nec morimur.

Sacroſanctum Salvatorem noſtrum quadraginta dierum jejunium toleraſſe, prout ſacra pagina docet, nemo dubitat; ſed pro miraculo habetur, quod non fuiſſet modo homines poſſint vivere abſque alimentis. Paucis itaque accipe quod ſentio , iſtiuſmodi abſtinentiarum exempla vel ſunt miracula, vel (ſit venia verbo) fabellæ.

Nec defuerunt pauperes ad iſtiuſmodi fallacias ſimulandas quo pacto eleemoſynarum aucupium fœlicius inſtituerent.

Eſt literata admodum inter Medicos controverſia, utrum nutrimentum corpori impertiatur aliàs quàm per Os. Quidam contendunt Clyſterum

ſterum nutrientium ope pabulum corpori ſubminiſtretur, non obſtante valvulæ Coli obice, lactearum venarum miniſterio inteſtina craſſa perreptantium, cæteri poſt iteratas diſſectiones iſtiuſmodi venas dari penitùs negant; alii per olfactum vitam aliquamdiu ſuſtentari putant, quorum ſpiritus pororum opportunitate recto tramite ad ſanguinem ferantur, uti vinum ſæpiùs in ore collutum, citra quam ſorbeatur, ebrietatem induxerit, ſed iſtiuſmodi caſuum infrequentia poſitivam omnem vel ponendi vel tollendi certitudinem demit.

Referunt hiſtorici animalia quædam diù vitam protrahere abſque alimentis, limaces per integram hyemem arcta cuſtodia detentos delituiſſe, & inſequenti vere ad paſtum rediiſſe, Animal ad inediam tolerandum præ cæteris quaſi natum ob frigiditatem, paucitatem & viſcoſitatem ſanguinis.

Referunt nautæ hirundines urgente bruma ſub aquis diſperſas catervatìm reperiri vel mortuas vel

mortuis consimiles, verno calore fermentationibus auctis reviviscere.

Referunt oculati testes ranas in sinu Hudseiensi subitaneo gelu constrictas, sæviente hyeme immobiles permansisse, & summa circumstantiarum acribeia vitæ expertes, quas si vel foco culinario paulatim incalescere sines, novam calore vitam obtinent, vel accidente calore verno post statum tam famelicum tam diuturnum turmatim in pedes se conjiciunt.

Utcunque res Avium Animaliumque sese habent, ab iis ad hominem non valet consequentia.

Percellunt admodum animum istiusmodi stupenda & inaudita prius rerum & personarum exempla, mentique causarum investigationi deditæ, nec insolitis relationibus valde credulæ, neutiquam satisfaciunt, irritant potiùs ad alia atque alia dignoscenda, & insita est plerisque hominum libido abdita rimandi, obvia prætereundi. Idcirco quorundam Medicorum Londinensium jussu exorandus es, Vir Egregie,

gie, ut eâ quâ polles gratiâ & autoritate apud Virginem vicinam tuam, rariſſimum abſtinentiæ exemplar, uti digneris, ad illius Londinum adventum perſuadendum, neque domi deliteſcat Virgo, quæ ad peregrinationes ſuſcipiendas præ cæteris quibuſcunque vel nata vel inſtructa videretur. Et ſingularis benevolentiæ tuæ mihi pignus dabis, modo Dominam ad ædes meas invitaveris, locumque ad abſtinendum commodiorem nuſquam invenerit, meque ſummo officio & ſumma obſervantia tibi in perpetuum devinxeris.

Servum humillimum.

EPISTOLA XIV.

De Strumarum ratione, quibus ſanandis Contactus Regius celebratur.

Chariſſime Vir,

FIliam tuam natu minimam glandularum morbo affici, Strumis dicto, nuper mihi ſignificâſti, inter meditandum (uti juſſeras) iſtius morbi medicationem, ſervus tuus intrat anhelo curſu feſtinus, literis me monentibus, Regi unum è ſacris domeſticis tibi conſuluiſſe, ut ſpretis aliis medicamentorum ſuppetiis filiam tuam contactu Regio ſanandam mitteres, operamque ſuam ad favorem illum obtinendum quavis occaſione, humanitùs tibi obtulerat. Rogas quid conſulendum puto.

Abſit, Domine, ut vim Regiam quaſi cœlitùs delapſam creditam, & mira

mira hominum frequentia ſtipatam, in ſanandis ſtrumis vel in quæſtionem revocarem. Contactus Regius à multis retro ſæculis, ab ipſis Edvardi Confeſſoris diebus ſolenne ſacrum habebatur, advolant ab extremis Angliæ finibus & ab exteris aliquot regionibus, ſpe pleni ſanationis, hoc morbo correpti, modò ad Sacræ Majeſtatis genua ſe provolverent. Ab anno 1660, ad annum 1682, Sereniſſimus Princeps Carolus Secundus 92107, vel contactu ſuo vel auro beaverat: vulgo creditum eſt, poſt contactum Regis exhibitum, acerbiſſimos dolores multis ſedatos, ulcera priùs manantia quibuſdam ſicceſcere, tumores aliis evaneſcentes, & præruptas glandularum moles opificio pluſquam Dædaleo complanatas, cœcutientes in ipſo contactus Articulo ſubinde viſu pollere, & claudos pedibus ambulare traditum eſt; tandem intra paucos dies ex mille pluſquam quingenti perfectà ſanatos. Quæ ſi vera ſunt, in eo enim cardo rei vertitur, ubi ratio nihil ſuggerit,

ſuggerit, experientiæ unicè fidendum eſt (quæ tam Medici quam Chirurgi Regibus noſtris & Galliarum alteris inter tangendum miniſtrantes diù teſtati ſunt, & in hunc finem libros vulgârunt) admirationem noſtram & gratitudinem poſtularent.

Abſit itaque ut tam injurius eſſem Sereniſſimi Principis noſtri prærogativæ pluſquam (ut ita dicam) humanæ, vel ægrotantium ſuorum ſubditorum commodis, ut quemlibet Strumoſum contactui Regio inhiantem, ab illius contactu diſſuaderem, potius vota faciam, quos *Rex tangit Deus ſanaret.* Verbo itaque expediam quod ſentio: Contactus Regius poteſt eſſe (ſi olim fuit) proficuus; ſolet ſubinde eſſe irritus, nequit unquam eſſe nocivus.

Cur Principi tantum noſtro & Galliarum Regi eadem indulta eſt facultas eundem morbum ſanandi? Utrum unicè voluntati divinæ? Vel Regum ſacro Chryſmati? Vel ſacris inter tangendum peragendis?

Vel

Vel ipſius ægrotantis fiduciæ? Vel imaginationis viribus? hæc mirabilis ſanandi vis debetur. Sunt poſtulata tua ſatis curioſa, ſed potiùs Theologica, quibus modò tibi cumulatè ſatisfacere velis, adito pium admodum & eruditum concionatorem veſtrum, virum (ſi quis eſt) rimandis iſtiuſmodi cœleſtis imperii arcanis verſatiſſimum.

Si filiæ tuæ morbus tam contumax evaſerit, Domine, ut contactui Regio neutiquam auſcultat, quod aliquando, proh dolor, compertum eſt, mediis Medicis quamprimùm uti ſuadeo, ne diuturnitate temporis tabem inferat.

Struma ortum debet craſſiori lymphæ per glandulas cribrari inhabili, quo pacto tranſitum non inveniens, ſenſim ibi collecta ſiſtitur, unde prærupta glandularum moles.

Format ſubinde ſacculos, à particulis hamatis ad ſuperficiem protruſis, haud ſecus ac in re culinaria gummoſiores liquores cuticulam contrahunt & contenta includunt.

Altiores

Altiores radices egit malum, modò materiam quandam calciformem, & ipſum tartarum æmulantem in ſe continet, & omnem medelæ ſpem penitùs excludit; prognoſis minus infœlix audit, modò nulla capſula eſt; ſic iſtius lymphæ reſolutio faciliùs inſtituatur, vel *methodo Whartoniana vaſa reſorbeant.*

Nec minus interna quam externa glandularum congerie Strumoſus affici ſolet, nec tantum glandulæ colli, maxillarum, & inguinis intumeſcunt, ſed & meſenterii, non per communicationem aut occultas ſympathias, ſed quod eadem lympha in omnibus ejuſdem naturæ glandulis ejuſdem generis contenta deponit. Et Meſenterio glandulis adventitiis & induratis ſtipato obſtruuntur vaſa Lactea quamplurima, ſic chili impendium ſanguini deferendum, ad quotidiana diſpendia ſupplenda magna ex parte impeditur, quo minus proventu ſuo aleret: unde Atrophia.

Strumoſi lentè abeunt ad plures, quod neque ſufficiens lacteorum

numerus

numerus apertus eſt ad plenam nutritionem ; neque tot obſtruuntur, ut mors ſubitò ſequatur.

Probabile eſt quod iſtiuſmodi glandularum nodi citius & frequentius collo ſubnaſci ſolent, non quod locus tantum eſt glanduloſus, ſed quod frigidi aeris acceſſui exponitur, haud ſecus ac fungi ac arborum reſinæ ab externo aere indureſcunt.

Etiamſi, Domine, ſeptimi filii contactus diſcutiendis hiſce tumoribus aut virtus aut gloria obſolevit, cadaveris tamen humani tactus in affectam partem imponendi, donec illius frigus penetrat in intima tumoris penetralia nuper decantatur à *Nobiliſſimo Boyleo* tractatu ſuo de ſpecificis, & ni fallor ab Helmontio.

Indulgerem profectò & hoc experiundi copiam, præcipuè ſi filiæ fides admodum viget, dum filiæ tuæ nocumento futurum fas non eſt ſuſpicari, neque medicamentis poſteà ritu Medico uſurpandis ullatenùs obſtiterit.

Faxit

Faxit Deus, ut contactus unus aut alter optatum finem consequatur; sin minus quæ ad curationem pertinere arbitrabor studiosè diligenterque curabo. Brevitati ignoscendum est, quod compendiosior hæc & aulica (quam ambis) medendi methodus prolixiores literas tam accusat quam denegat. Tibi sum,

Domine,

Addictissimus.

EPI-

EPISTOLA XV.

Num ſemel per menſem inebriari valetudini conducit ?

Honorande Vir,

VIrum tam ſobrium, tam vini abſtemium vinolentæ huic opinioni patrocinari, utì ex noviſſimo congreſſu conſtabat, mirari ſatis nequeo, & quaſi de induſtria illius patrocinium ſuſceperas, tam rei rationem vulgò creditam, quam veterum medicorum monumenta in ſubſidium vocaſti: provocaſti demùm quaſi delectus Bacchi Heros ad certamen literarium, quemcunque huic opinioni tam authorum judicio quam rei æquitate firmatæ contrarium decernentem, & quòd quoties aliquid addiſcere cupio, cum ſuperioribus contendere expediat, provinciam (ſalva Bacchi reverentia) non invitus ſuſcipio.

Avicen-

Avicennam literatum admodum Medicum eandem opinionem evulgaſſe certum eſt, cujus tamen religio omni vini uſui interdixit, reclamantibus verò aliis nec minùs literatis; ſic authoritas authoritate expugnatur, & eo magis in hoc caſu, quo minor numerus cedit majori. Res itaque ad judicium & experientiam vocanda eſt, & num illorum arbitrio conſtabit necne diſſerendum eſt.

1° Eſt mihi æternæ veritatis dogma, Nihil corporis humani ſaluti conferre, quod adverſatur legibus divinis. Sapientiſſimus Rerum opifex corpus humanum condidit, non ſanctiſſimarum illius legum violatione, ſed debitâ illarum obſervantiâ ſuſtentandum, & quaſi facto fœdere conſpirare in perniciem corporis quicquid Animam lædit. Fatendum eſt quod hæc ratio minus Medica videretur; nihil tamen intereſt, cùm vera eſt, modò veniam à *Viris Sacris* ob illius uſum impetrarem.

2° Nullum

2º Nullum iſtiuſmodi regimen Medicum vel ſanitati vel longævæ ſenectæ conducens experientia dictat, quam ſobria & eo nomine inculpata vita, ebrios perpaucos & ſanam vitam ducere & diuturnam quandoque viſum eſt. Sobrioſque peſſimè morbis affici, citoque iis ſuccumbere compertum eſt, ſed neque iſtud fœlicitatis obtingit ebriis temulentiæ gratia, neque alterum infortunium ſobriis ſupervenit, quod abſtemii vixerant, ſed forſan parentibus minus abſtemiis derivetur.

3º Semel per menſem inebriari plus quandoque officiat valetudini quàm ſæpiùs. Conſuetudo eſt quaſi altera Natura, & aſſuetæ admodum vinolentiæ nihil adeò lethale eſt ac vita penitùs abſtemia, præcipitat illius mortem modo uno ictu à poculis genialibus arcetur. Talis Bacchi heros heſternam crapulam facilè ferendo eſt, nec comes febris, nec vigiliæ, nec dolor occupat, nec appetitus dejicitur, repetito tantum poſtera luce hauſtu uno vel altero generoſiori, ſatis ſalva ſunt omnia.

Cum ex oppoſito, qui infrequens Bacchi cultor eſt, ſemelque per menſem ei immolet, totius corporis machina quam miſerè perturbatur, ſanguis & humores immodicè turgent & ebulliunt, caput laceratur, ſenſus hebetiores, aut obſtupeſcunt, vel ipſiſſimum ſibi nomen faſtidit, os torridum, nec ſitis urna extinguenda, tuſſis ferè continua moleſtat, & ſcreatus quavis tuſſe moleſtior. Et quod peſſimum audit, hæc numeroſa ſymptomata non proximâ luce evaneſcunt, ſed diutiùs perſeverant, & ſæpe ad ipſiſſimum tempus, quo de novo Bacchanalia ſunt celebranda.

Neutiquam mihi erraſſe videtur Religioſus ille Monachus conſcientiæ moderator, cui pœnitens acceſſit ad expiandas animi noxas, & ſe vino obrutum fuiſſe faſſus eſt. Cucullatus ille pater pœnitentiæ loco juſſit ut vino rurſus obrueretur, modo in potu rarus fuiſſet.

Non hæc dicta putas, Vir Celeberrime, ad ebrietatem frequentiorem conſulendam, ſed vel minimam

mam abigendam, eo potissimùm nomine quod qui huic assuescit, vix aut ne vix ab ea divellendus, qui huic minus assuescit, nihil est quod invitaret.

Sed urges, Domine, quod vomitus hujus indulgentiæ comes per mensem celebrandæ, ventriculum plurimorum morborum sedem ab omni noxiorum humorum colluvie durante isto temporis intervallo collectâ, & absque Pharmacorum nauseâ, & Medicorum præmio, quam facillimo negotio liberaret.

Objectionem diluunt sequentia.

1° Quòd vomitus non est semper hujus indulgentiæ comes, somno vinoque sepultis sæpe non supervenit.

2° Vomitus à nimia ingurgitatione quolibet mense provocatus ventriculi tonum admodum labefactat, inde malorum Ilias.

3° Tantum abest ut ventriculus ab ebrietate oriundus noxios quoscumque humores ex ventriculi cavo eliminaret, ut plures cumulat, teste inappetentia & cibi fastidio istius-

modi vomitum inſequente, nec citiùs quam abſtinentia medenda.

4° Qui lecto aſſidet ebrii vomentis, haud facilè provocatum putaverit, videat potiùs ventriculum tanta ſarcina onuſtum, non niſi poſt laborioſiſſimos vomendi nixus invitò quaſi regurgitantem.

5° Pone vomitum reſarcire damna quæ ebrietas infert, ſed rarò aut nunquam tam fœliciter cedit, quod malum aliis in locis hoſpitatur, neque amplius quicquam ſperari queat, quo pacto aut quo nomine valetudini conduceret, nondum video.

6° Sed pone, Domine, hanc vinolentiam menſtruam medicamentorum vicem ſupplere, parique eventu gloriari, nonne ipſa Pharmaca poſſunt nimis crebrò propinari? Medicationem per menſem inſtituendam quicunque laudaverit, nemo imitabitur, cum Natura ſua munia fœliciter abſolvit, *bene ingerit, digerit, & egerit,* non eſt medicamentorum frequentia interpellanda, multò minùs vino nimio oneranda.

Delica-

Delicatulus ſane eſt qui certiſſimam & frequentem ebrietatis, potiùs quam incertam & rariorem Pharmacorum nauſeam, ferre maluerit: cautio verò ad præcavendos Medicorum ſumptus peſſimè collocatur; quod cavere ſtudent in illud incurrunt; plus enim uno ebrio die lucrantur Medici, quam diebus triginta ſobriis.

Tandem in vinolentæ hujus conſuetudinis patrocinium urges, Domine, quod longè tutius eſt quavis Luna ſemel tantum vino nimio obrui, quam modicis ſed frequentibus & quotidianis poculis madere.

Tutiùs profectò eſſe arbitror, quòd è duobus malis minimum: hanc verò vel illam indulgentiam penitùs innocuam, multò minùs valetudini conferre, nemo invenerit.

Tantum demùm abeſt ut intemperantia quovis menſe celebranda valetudini aut illius mediis inſerviret, me judice, ut opinionem toto cœlo contrariam tuerer potiùs, quoties, *viz.* inebriamur, toties mor-

tem nostram per mensem præcipitamus.

Nolo ut putes, Celeberrime Vir, me omnem vini usum damnare, fortasse generosius Cardiacum nondum exhibuit terrarum orbis, velim etiam ut homines quandoque mero incalescerent, non ut sepelirentur, indulgeant ad hilare ingenium excitandum, non ad temulentum soporem inducendum, hoc ipse Seneca laudat, nec rugas provocat ipsius Catonis, moderatus istiusmodi usus, fermentationibus & secretionibus corporis, *i. e.* valetudini plurimùm conducat.

Tandem, Domine, te huic vinolentiæ minùs favere reipsâ comperio, quod istam consuetudinem evitasti hactenùs, Epicurum laudas sed Zenonem vivis: & profectò tutius est quam Zenonem laudare, & Epicurum vivere.

Si, Honorande Vir, ad veritatem hanc vindicandam, & propugnandam non fui satis idoneus assertor, fac tamen copiam, ut officiis & obsequio iste defectus resarcietur

ſarcietur, & locus mihi concedatur teſtari undique quantum tibi debeo & quod ſum

Obſervantiſſimus tui.

EPISTOLA XVI.

De Monialibus duabus Romanis ſexum ſuum immutâſſe dictis.

Celeberrime Vir,

ERubeſcerem profectò præ nimia forſan verecundia (non obſtante mandatorum tuorum hortatu) me huic hiſtoriæ quaſi minùs pudicæ immiſcuiſſe, niſi ſacræ Theologiæ Profeſſor eandem typis editis vulgaverat, & Sacrum Cardinalium Collegium eandem exploraverat, hæc animum addiderunt, & ab omni indecora turpitudine quaſi cuſtodiant & muniant, nihil petulantiæ ergô recitavero, nihilque modeſtiæ ergô omittendum cenſeo.

Infœlix admodum audit, quòd mihi imperaſti ad modum hujus tam rari Naturæ luſus indagandum. Univerſum orbem literarium plurimùm

mùm tibi devinxeras, Digniſſime Vir, modo Celeberrimum Boyleum Naturæ ipſi è ſecretis, ad tale opus ſuſcipiendum invitaveras, nec planè ſpes me deficit, quamprimùm Honoratiſſimo viro innoteſcit tam fœcundum Naturæ gremium accuratius tractari meruiſſe, tam conſummata eſt illius eruditio, & quod æternam illi gloriam comparavit, non minus promptus ejus quam paratus ad docendum animus, quod ad hanc provinciam ſuſcipiendum tanto tantum authore dignam ſtimulabitur.

Literis me mones, quod Romæ inceſſerat rumor moniales binas cœnobiis clauſas eò germinaſſe, ut virilitatem quandam conſequi ſuſpicabatur, ſparſo pervagatoque rumore, demum pervenit ad aures Pontificis, qui rem tam prodigio ſimilem Cardinalibus quibuſdam examinandam juſſit: retulerunt Cardinales, inquiſitione factâ, moniales illas ita protuberaſſe, ut ſexum mutatum eſſe crediderint, in cujus teſtimonii veritatem moniales illas

illas inauditam quandam Metamorphoſin adeptas è cœnobiis ſuis pellendas eſſe jubebant, & mutata veſte officiis virilibus nunc temporis Romæ occupantur.

Miror ſanè quid eſſet in cauſa quòd Pontifex Maximus hanc provinciam Cardinalibus ſuis demandavit, viris quoad ſexuum diſcrimina neutiquam verſatis. Verum eſt quod illorum incorrupta fides omnem teſtimonii ſuſpicionem demit, illorum tamen illibata caſtitas tanto pudore & modeſtia conjuncta, talem inquirendi acribeiam non permiſerit, qualem res ipſa poſtularet.

Lectores forſan in diverſas abeunt ſententias utrinque falſas.

Nonnulli debitam venerationem Cardinalibus præſtant, nec omninò fidem denegant, quin quod ita tranſgreditur Naturæ limites, miraculum eſſe opinantur.

Alii fidem detrahunt, quod tam altè tranſvolat Naturæ captum, quod ceſſantibus miraculis pro impoſſibili habendum, quod impoſ-

ſibilium nulla eſt obligatio, ſic nulla fides.

Vellem equidem, Vir Egregie (& utinam tam labiryntheis Naturæ cryptis voluiſſe ſat tibi videretur) utriſque lectoribus ſatisfacere, his modò decernam ex partium genitalium ſtructura iſtiuſmodi fructicantis Naturæ luſus (quam mutationem ſexuum perperàm vocas) nequaquam pro impoſſibili habendus, illis verò quod hoc ſtupendum Phænomenon neque tantum tranſgreditur Naturæ limites, neque tanta infrequentia obtigit, ut ſpecioſum miraculi nomen mereatur. Ignorat Naturæ potentiam, qui illi non putat aliquando licere, niſi quod ſæpius facit.

Moniales illas integrum ſuum ſexum mutâſſe nemo rectè judicaverit, huic opinioni anſam daret immane quoddam & inſolitum Clitoridis incrementum, humanæ virgulæ inſtar protuberantis, & virilitatem quandam mentientis, taleque Clitoridis augmentum ſubinde fit.

Nolo

Nolo injurius eſſe monialibus illis ſeveriorem vivendi normam, & frequentiorem Dei cultum profitentibus, eaſque inſimulare, quaſi laſcivientes adultæ frequenter nimis hanc partem contrectaverant, quo pacto illius magnitudinem provocaſſe potuiſſent ſecundum Martialem.

Mentiturque virum prodigioſa Venus.

Quòd infantes ipſi, quibus impoſſibilis eſt laſciva iſtarum partium agitatio præternaturalis illius partis magnitudinis exemplum exhibuerunt.

Nec mecum reputare audeo Veſtales illas viros ſemper extitiſſe; contrarium verò externo amictu ſimulâſſe, ut explerent libidinem ſuam, de quibus nihil mali auditum eſt, nihil mali ſentiendum eſt, omnem iſtiuſmodi ſuſpicionem demit illa mammarum moles quam primo hujus vitæ inſtituto gerebant, & quod eaſdem etiamnum gerunt, prius

prius mihi cogitatum inculcarunt.

Memorat Curioſiſſimus Regnerus de Graaf libro de mulierum organis, capite de Clitoride, infantis cujuſdam Clitoridem tantam cum membro virili ſimilitudinem retuliſſe, ut cum obſtetrice unà vicinæ mulieres ac peritiores alii illum maſculum judicaverint, & *maſculino nomine in baptiſmo inſigniri juſſerint*, illamque Naturæ fraudem detexit poſt mortem accurata iſtarum partium diſſectio, cujus hiſtoriam tradidit idem autor.

Clitoris in quibuſdam adultioribus ita propendere viſus eſt, ut abſque labiorum diductione vel crurum divaricatione facillime conſpiceretur. Morbus quidam eſt furor Uterinus dictus qui nonnunquam eandem cauſam agnoſcit, quatenus veſtimentis inter ambulandum, aut domeſtica munia obeunda attritus, ita eas ad libidinem irritat, ut ſepoſita omni modeſtia & verecundia quaſi dementia captæ nolentes volentes ruunt in amplexum virorum.

Iſtiuſ-

Iſtiuſmodi præternaturalis Clitoridis magnitudo quibuſdam Orientalibus regionibus tam familiaris extiterat, ut peritiores Chirurgi pſeudovirgam illam nimia mole turgidam amputandi methodum prodiderunt, & nupturis virginibus exſcindere conſueverunt ob hanc rem conductæ provectionis ætatis fœminæ, ut mariti amplexum exciperent.

Nec difficilis videtur iſtiuſmodi magnitudinis ratio.

1° Quod illud Veneris œſtrum fruticat uberrimâ tam nervorum quam arteriarum copiâ, calore & ſpiritu præ cæteris iſtius loci organis turget & inflatur. Virum paſſis aut ſimulato Priapo uſis naturaliter extuberat & ampliatur, ex uberiori tam ſanguinis quam ſpirituum animalium influxu illius titillationem comitante natura quaſi prodiga videtur ad nutrimentum huic organo ſuppeditandum.

2° Facilitatur iſtiuſmodi Clitoridis protuberantia ex cavitate locum cedente, & quaſi viam monſtrante,

ſtrante, non in arctiori cuſtodia collocatur, quo pacto Natura quaſi peſſulum obdit illius incremento, quin in liberum cavum propendens, quaquaverſum ſe diffunderet, quo pacto vaſa quam facillimo negotio elongarentur, & nutrimentum cirumcircà feratur.

Porro, Domine, comparatione inter mulierum & virorum organa inſtitutâ, non tantum diſcrepare invenientur, quantum prima fronte judicaveris, præterquam quòd virilia auctiorum fermentationum robore foras protruduntur, cum muliebria iſtiuſmodi calcaris defectu intus deliteſcunt.

Uterus mulieris modo foras propendeat ſcrotum conficeret, ſic ſequerentur ovaria bina uteri fundi lateribus annexa, quibus intus incluſis teſticulorum numerum complerent.

Clitoris æmulatur virgam, eadem Veneris dulcedine exagitatur, & ſimiliter intendi & laxari queat, tale quale virile præputium obtinet, pariter & glande deſinit, ſed cavi-

tate

tate destituitur, nec mirum cum nullius liquoris evacuationi inservit, dehiscente rima in fœminis vesica per compendiosius foramen onus suum exoneravit; sed si rima illa occlusa fuisset, ut fit in masculis, mediante Priapo & cæterarum partium protrusione, necessario sibi canalem alium efformaverat, recto tramite per virgulam decurrentem, vasa enim & canales quicunque sunt mediante liquore efformantur, ubi liquores diutius asservantur, quasi cisternas conficiunt, ubi transeunt tantùm canales.

In primordiis generationis ubi genitales aciculæ apicem, vix superant, discrimen sexuum ab exiguis admodum circumstantiis dependet, in adulta verò ætate, plena & perfecta sexuum immutatio (uti de Tiresia fabulantur Poetæ) inter creditu difficillima reponatur, opinari fas est, vel Clitoridis incrementum ob tantam cum membro virili similitudinem spectatoribus imposuit, vel fuerunt semper mares, genitalibus masculis aliquali defectu

inter

inter rudimenta fœtus haud debitam exclusionem nactis, accedente verò robore, stimulante Veneris œstro, quæ diu intus delituerunt virilia, erumpunt, & sic de novo germinâsse viderentur.

Naturam in genitalium fabrica subinde ludere passim observamus. Historia legenda venit Articulo quarto decimo de l' historie des Ouvrages des Scavans mensis Januarii. Quod *pago ad radices montis Juræ Grandvaux dicto, paucis abhinc mensibus, natus est infans, cætera par aliis, atque ea corporis parte quæ viros facit, plane jam vir, & pubes pilorum densitate obsita, & deinceps haud infrequentes lascivi motus, atque ejusdem maximè à somno velut in Venerem turgescentis crebra tentigo, necdum puer complevit biennium, parentes tamen admoniti ne illum cum sororibus aut ancillis cubare patientur, ne id quod in decenni miratus est Hieronymus, in bienni aut trienni contingat.*

Natura certorum finium præscriptionem subinde aspernatur, in illius tamen libro litura nulla est

istiusmodi Naturæ Monadica admirari potius debemus, quòd cognoscere vix unquam poterimus.

Discessum tuum ab urbe nostra admodum doleo, quòd minus unà esse poterimus quam volumus, animorum tamen conjunctione iisdemque studiis ita fruamur, ut nunquam non unà esse videamur. Tibi sum jure merito

Addictissimus.

EPI-

EPISTOLA XVII.

Cui lectum incœnatum petere conducat, cui contrarium suaderem.

NEMO uſpiam Medicorum eſt, Vir Illuſtris, qui quæſtioni tuæ literis nuperrimè datis univerſaliter propoſitæ ex jactis rationis & judicii fundamentis, reſpondere valeat. Si modo univerſaliter affirmarem lectum incœnatum petere ſalubrius, vel ſi eodem modo negarem, pari certitudine in erroris ſcopulos utrinque incidero. Modò rogaſſes, Domine, quid tibi ſalubrius futurum, poſito priùs corporis habitu, poſito priùs valetudinis & ætatis ſtatu, poſita conſuetudinis tuæ & vivendi ratione, quàm facillimè negotium expediviſſem, ſed cùm hæc mihi neutiquam innoteſcunt, cogor ad ſingularia deſcendere,

dere, & particulatim recenſere; quibus lectum incœnatum petere expediat, quibus demum minus ſalubre perhibetur; ſic eligas, quod maximè ad naturam tuam, cæteraſque vivendi circumſtantias aptatur.

1° Lectum incœnatus petat, quem non invitat ad cœnam fames, repetitis poſt meridiem ſubinde poculis genealibus; quem verò fames ad edendum impellit & incitat, veſci oportet.

2° Lectum incœnatus petat, qui more Belgico, *i. e.* ſerius prandet, vel more Londinenſi lautiùs; parcius verò & horis Academicis prandenti cœnam ſuaderem, ne illius inopia interrumperet ſomnum.

3° Lectum incœnatus petat, qui ex opulentiori fortuna ignaviæ & ſocordiæ indulget; è contrario quem res domi anguſtior provocat ad diurnos ſudores, cœnam admodum neceſſariam duco; corpus enim citò contabeſcit, niſi illius diſpendio pari paſſu accedit nutritio.

4° Cœna iis conſulenda, qui minus carne veſci ſolent, ſed potiùs

more

more Gallico juſculis & ſorbitionibus prandent, iſtiuſmodi liquida non dant admodum ſtabile nutrimentum; ſic frequentioribus vicibus ſunt compenſanda.

5° Quorum ſanguis eſt admodum acris non ſunt à cœnis arcendi, Cereri tutius eſt liberiùs indulgeant. Plus confert ad edulcorandum ſanguinem Culina quam Pharmacopolium, neque ſanguinis acrimonia tali balſamo condienda, qualis eupeptis cibis derivatur, qui verò phlegmatico corporis habitu laborant, quorum ſanguis minus accuratam fermentationem ſubit, ex inedia alimenti nulla inſtauratione facta, ſanguis circulationis lege frequentiùs redit ad cor; ſic fermentationes patitur crebriores, inde viſcoſarum particularum diſcerptio, & accuratior illarum mixtura aſſurgit ad quæcunque vitæ munia obeunda.

6° Si valetudinarius es & ſolita prandendi hora faſtidis quæcunque eſculenta, abſtinere tunc temporis juvet; *impura enim corpora quo plus*

nutris, eò plus lædis; ſed abſtinentia cœna reparanda ſecundum effatum Hippocratis: *Non fames, non ſatietas, nec aliud quippiam bonum, quod naturæ modum excedat.*

7° Conſuetudo hac in re tanti momenti eſt, ut qui cœnis ſeſe aſſueſcunt, nihil aut minus inde damni patiuntur; imò Gallis lautior cœna apparatur abſque vel minimâ alicujus incommodi ſuſpicione; huic verò vivendi generi minus aſſueti poſt lautiorem cœnam febricitabunt.

Plurima, Domine, tam in dando cibo quam in ferenda fame diſcrimina reperiuntur, nam famem faciliùs fert adoleſcens quam puer, faciliùs in denſo cœlo quam in tenui, faciliùs hieme quam æſtate, faciliùs inexercitatus quam exercitatus homo; ſic Medicina in hoc caſu perpetua præcepta non habet, dum ætas, cœlum, anni tempeſtas, exercitia, conſuetudo, valetudo, fames, corporis habitus, vivendi ratio, rem variant.

Quam

Quam vivendi methodum instituisti, Domine, me penitùs latet, idcirco neque ad cœnam invito neque arceo; spero tamen quòd hoc loco invenies quod cedat in usum tuum, & ad circumstantias tuas, quæcunque sint, aliquo modo quadraret; sin minus me literis mone, & cumulatiùs tibi satisfacere quamprimum contendam.

Si rationes modo allatæ te ad cœnam vocant, hoc tantum tibi in præsens suadeo, ut prima vespera sumatur, ut nimietatem fugias, cum ægrè digerendis.

Tædio tibi foret, Vir Eximie, omnia istius classis edulia particulatim recensere, verbo itaque expediam quod res est, omnis cibus faciliùs concoquitur, quorum particulæ non tam pertinaciter & firmiter sibi implicantur & irretiuntur, sed paucis tantummodo punctis sese contingunt, quique poros habent majores, hoc pacto fermento ventriculi facilis conceditur aditus ad interiora ciborum, illi ergo difficilioris concoctionis erunt, in quibus contrarium obtinet. Quan-

Quantum uno die vel una refectione comedere licebit (tanta eſt corporum varietas, & tanta ciborum diſcrepantia) cum Leſſio & Cornaro determinare non audeo, tanta cibariorum acribeia non omnibus conveniet, vix tamen abludit à vero Proverbium illud Italicum, *Qui parum comedit comederit multum*; *i. e.* diu vixerit ad comedendum. Sancitum verò hoc eſto, quò frequentiùs paſtum repetes, eò minus una vice ſumendum; quò minus comedis, eò frequentius concedatur.

Obſervaſti indubiè (Præclare Vir) quòd fortunatâ hac noſtrâ Britanniâ omni eduliorum genere feraciſſimâ aut quaſi prodigâ, ubi unus ex opulentioribus tui conſimilibus ex parciori victu vel minimum incommodum ſenſerit, centum ex repletione nimia interempti.

Et quod abſque *condimentis* vix quicquid apponi ſolet, haud ingratum forè arbitror te certiorem facere, quid de iis ſentiendum eſt.

Quædam condimenta ex acidorum & auſterorum claſſe petuntur, Dominarum,

Dominarum, ut plurimùm, deliciæ, vel ob palati illecebras, vel ob inappetentiam ex vita minus exercitata oriundam, (exercitia enim acuunt appetitum, quod exinde fit magis efficax protrusio ex Gastricis in ventriculum) sed miseras luunt pœnas, cum ut plurimùm astrictione sua obstructiones & Cachexias accersunt.

Nec minus valetudinem suam periclitantur alii istiusmodi famis stimulis utentes, cum potiùs compescere opus est, morbusque jure dicatur cibum appetere, cùm non sumus, vel cum non satis sumus digerendo, famemque cibis modicis saturatam ad pleniorem ingurgitationem istiusmodi illecebris extimulare, inter verissima Naturæ gravamina recenseatur, quibus saltem opprimi, sin minus succumbere cogitur.

Aromatica unà cùm acrioribus alteram speciem constituunt, in quorum gratiam hæc dici possunt, quod nec vili constant, nec domi nascuntur, virisque quibus solet esse frequentior usus ad stimulandum

mulandum ſitim expetuntur, conſuetudo temperamentis ſalinis vinoque deditis virorum ſtrage funeſta; ſic oleum camino addunt, & quàm citiſſimè perniciem moliuntur; illorum itaque uſus vel craſſos & viſcoſos cibos comitetur, vel Naturis frigidis phlegmaticiſq; tantum concedendus.

Memoratu videtur dignum, quòd hoc vel illud Embamma his ſalubrius, illis perniciofius dicatur, diſcrimine ex diverſa corporum conſtitutione ſumendo: butyracea bilioſis neutiquam conſulenda, Acida prius memorata temperamentis ſalinis, Aromatica acidis meliore auſpicio ſed parciùs & rariùs concedantur, nec ſtilo poetico tantum, ſed & Medico dicatur,

Cibus ſimplex, ſine arte menſa,
Vitam faciunt beatiorem.

Pari jure medicamenta in foro Medico *Stomachica* dicta non ſunt una eademque omnibus proficua, ſed longe diverſa pro varietate corporum adaptanda, aliàs pro ſtimulo uteris loro.

Mos

Mos demum apud nos invaluit vicinis gentibus penitùs invisus, neque imitatu dignus, cibum nostrum semicrudum comedendi. Qui huic assuescunt potiùs saporis acumini student & adblandiuntur, quam usui & rationi. Quid enim est si hoc non onerare ventriculum, dum hoc pacto gemino officio fungi oportet, non tantum cibum digerendo sed & coquendo occupatur, nemo non expertus est, cibum foco culinario nondum satis subactum, non nisi ægriùs digerendum, quo nomine cruditatibus generandis non tam fortuita verborum aptitudine, quam certissimo rerum documento peculiari quodam jure primatum sibi vendicaret.

Comestio casei digestionis ergô sub exitu mensæ vulgari fama celebratur, sed neque omnis caseus tanto nomine dignus est, nec famigeratissimus omnibus constitutionibus pro digestionis adjumento habendus. Caseus ille Chedderensis vel Cestriensis dictus debitam maturitatem adeptus Stomacho frigido

consulatur, vel escam minus principiis activis ditatam comitetur, ob salem (cùm Chimicis loqui) ad summum fluorem evectum, sed temperamentis calidioribus illius usui indulgere non consultum est, *i. e.* frequentiùs & copiosiùs, minima nec curat Prætor nec Medicina.

Caseus ille vulgaris ex lacte deflorato conflatus concoctionis officio neutiquam ministrat, quin potiùs gravat, retardat, impedit, & etiamsi vita laboriosissima vescitur & quam facillimo negotio digerit, aliis neque huic assuetis, neque diurno sudore stillantibus istæc fœlicitas non expectanda est. Et Caseus alter ex ipsius lactis cremore conflatus, blandimentis gulæ quam ventriculi necessitatibus longè est accommodatior.

Butyrum aureo titulo insigniri mane, meridie argenteo, vesperi vero naturam plumbeam induere vulgò dicitur. Proverbium etiamsi falsissimum, vix tamen potest ex mente hominum evelli, butyrum pane comestum provecta etiam &

nocte

nocte cæteris quibuscunque eduliis salubritate contenderit, butyrum verò igne liquatum quale pro intinctu apponi solet (nisi arte Culinaria probe commiscetur) teste nidoroso illo ructu illius usum sequente, neque ipso mane nocumenti expers censendum est.

Quòd cibus potu diluendus est, cerevisia sit melioris notæ, mitis & bene defæcata, nec crassa aut dulcis, nec vetusta nimis nec acescens, & si id fieri potest, statis tantum prandii & cœnæ temporibus sumatur, sanitati admodum adversatur mos iste vulgaris statim à victu plenioribus poculis sese ingurgitare, vina sincera & minime adulterata modicè sumpta non nocent, iisdem verò fucatis nihil magis noxium ac sanitati injurium.

Veniam rogo, Domine, quòd diutiùs huic themati Diætetico insistebam quam jussa tua postulaverint, nescio qua libidine ferebar ad rem integram ab ovo ad mala inquirendam, quod tanta discendi cupido pari solertia conjuncta est, neque

neque levis momenti eſt vel ad ſanitatem conſervandam, vel ad morbos debellandos quotidianus victus noſter; qualis cibus talis ſanguis, qualis ſanguis talis valetudo.

Bellariorum vicem ſupplebit (ſin ita tibi viſum eſt, Domine) hoc Apophoretum, Sit hilaris animus, aſſiduus cibandi comes, lætitiæ potiùs quam lautitiæ indulge, innocuus demum ſermonis lepos atque feſtivitas & inchoet & finiat dapes, ſic corpus & animum reficiendo lætiùs & diutiùs vixeris, quod ex animo optat

Servus humillimus.

EPI-

EPISTOLA XVIII.

Quot horis dormire licebit.

Digniſſime Vir,

VAletudinem tam proſperam quam adverſam ex ſomno & vigiliis plurimùm dependere, recte judicas. Cuivis obvium eſt, integram admodum ſanitatem ex vigiliis nimis importunis plurimùm periclitari; ex oppoſito ægritudinem fere qualemcunque ex ſomno fœliciter oborto valde imminutam, ſin minus depulſam; curioſitatem ergò tuam nec damno nec improbo, quòd cavere oportebit, ne quantum per diurnam valetudinis curam profeceris, tantum per nocturnam incuriam retardaris.

Rogas conſilium quot horis ſalva valetudine dormire liceret, ne ſanguis tuus ſomno nimio obtorpeſceret, vel illius defectu æſtuaret,

cautio

cautio pari prudentia instituenda est, ne ex vigiliis nimiis in delirium, aut ex somno nimio in lethargum incideres.

Vulgaris admodum versiculus rem brevi complectitur:

Septemhoris dormisse sat est juvenique senique.

Sed non omnibus unum idemque tempus præfiniendum est, quòd temperamenta diversa, ætas varia, valetudo dubia, diurnum vel otium vel sudor, ipsum demum dormiendi tempus varietatem aliquam postularent, à generali tamen hac regula non valde deviam, diutiùs enim dormiendi necessitas vix potest admitti, & tamdiu dormiendi cupido vix potest culpari.

Sed ipse somnus varius est, plus quandoque tribus horis dormimus quam sex, *i.e.* brevior subinde somnus plus reficit & alit, profundus ille sopor, quem fessus & laboriosus homo optimo sibi jure vendicaret, vel viribus fractum, vel animi lassum

ſum, vel cura confectum admodum juvat, & poſtera luce ad exequenda quæcunque munia paratiſſimum reddit, dum otio & pigritiæ deditus oſcitare tantum, vix dormire videretur, vel à leviſſimo ſtrepitu ſomnus abrumpitur, vel per dira inſomnia perturbatur, cui demùm ad diurnam laſſitudinem depellendam non inſervit ſomnus, illum ſomnus ipſe quaſi defatigaverit, votum neque leve eſt neque male collocatum, ut ſicut feſſus & laborioſus aſſolet, noctem tranſigam, & in utramvis aurem dormirem.

Somnus nutrire dicitur, quod ſomni tempore minor eſt corporis perditio, & parcimonia eſt de eſſentia lucri; ſpiritus tunc temporis ab officiis mentis feriantur; ſic corporeis uſibus magis inſervirent, & nutrimentum corpori miniſtrarent.

Quietem particularum juxta ſe invicem nutritio poſtulat. In hunc finem valdè conducit ſomnus, quatenus motu ſedato occaſionem præ-

bet, ut pabulum partibus faciliùs adhæreat. Experientia idem confirmat quod ſomnolenti fere ſemper ſunt obeſiores.

Quo magis dormitur, eò major erit dormiendi cupiditas, ſanguis hoc pacto fit viſcidior, minúſque ad movendum aptus, idem teſtatur pulſus ſomni tempore debilior & infrequentior; ſic nervorum tubuli ſupra ſe invicem incumbentes nervoſi laticis lentore tunc temporis collecto, quaſi invicem agglutinantur: Tales ſunt Phlegmatici temperamenti; ſic ſomnolenta illa diſpoſitio à Natura ipſa primum inchoat, & ab uſu incrementum capeſſeret. Tales non tantum diu dormiunt, quin & tardè & ſomnolentè evigilant, dum oſcitant & pandiculantur hora eſt; quibus verò temperamentum calidius eſt, nec tamdiù dormiunt, nec tanta dormiendi cupido, & quamprimùm interrumpitur ſomnus, eodem momento vigilant.

De ſomno meridiano, Domine, variè diſputatur. Multis hac de re vix

vix verbis opus eſt, nocturnus ſomnus utiliſſimus, meridianus modò nocturnum excludit, neutiquam ferendus : Sin verò ætate provectioribus ſupervenit ex uſu & conſuetudine, neque ſomnum nocturnum depellit, facilè concedendus.

Veſperi foco aſſidentes facilè in ſomnum labuntur, quod calore ignis pori ſuperficiei corporis magis aperiuntur, unde uberior tranſpiratio, & ſpirituum jam fere exhauſtorum avolatio.

Vigiliæ haud ſecus ac ſomnus modum excedentes, malæ, & plane morbus ſunt : familiares ſunt ſenibus, quibus ſanguis ſolet eſſe acrior, inde acriores ſpiritus generantur, ſic magis irritant cerebri & nervorum tubulos.

Vigilias inducunt dolores ; rapidior ille ſanguinis circuitus doloris comes, copioſiores ſpiritus miniſtrat, quibus nervoſi generis vela expanduntur, cum debent contrahi.

Vigilias producunt febres ardentes, quòd in iis ſanguis nimium eſt & acris & motus.

Vigilias conſervant vehementes Animi paſſiones, quòd ſpiritus continuò agitant & movent.

Sed quòd valetudini à ſomno procurandæ, potiùs quam phyſicis illius ſpeculationibus intentus eſſe videris, paucula quædam ſubnectam huic ſcopo inſervientia, quibus ritè & fideliter obſervatis, ſomnus tibi contingat ſuis uſibus optime inſtructus, accedat in laborum perfugium, in virium inſtaurationem, in laſſitudinis quietem, in ægritudinis ſolamen, & in vigiliarum medelam.

Ut ſomnum tam placidum quam utilem tibi conciliares, neceſſe eſt, 1° Ut interdiù ita teipſum exerceres; ut nocte ingruente privilegium ſomni ſummo tibi jure vendicares, ignavia fugat ſomnum, quem induſtria & diurnus ſudor facilè provocaverint, laſſitudo Hypnoticon optimum eſt, taliſque naturalis ſopor medicato cuivis milliès præferendus.

Fœlix & opulenta rei familiaris tuæ conditio laborem tibi neutiquam

quam injungit, noli tamen eſſe otioſus, quò minus tibi eò plus aliis occupandus es ; quò minus domeſticis negotiis implicatus es, eò magis publicis officiis exercendus, vel animum ſtudiis vel exercitiis corpus ita defatigatum velim ; ſic ſomnus neceſſitate quadam inducendus ad hodiernæ diei tædia levandum, & ad craſtina vel negotia vel exercitia ſuſtinendum.

2° Ut ſomnus ſuis uſibus optimè inſerviret, debet eſſe *tempeſtivus*, nocturnas lucubrationes valde inſalubres, nocturnas compotationes admodum pernicioſas inveneris ; noctu invigilare & interdiù dormire integerrimam valetudinem perdet, utiliſſimus ſomnus ante noctem concubiam invadit, multoque magis refocillat, quam ſomnus horis antelucanis incœptus, inter beatiſſima vitæ munera annumeratur à Poeta.

Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Somnus qui faciat breves tenebras.

3° Somnus non tantum laſſitudinem diurnam mitigare & compeſcere debet, & opportuno tempore ſumendus eſt, quin uno eodemque tempore quo ad lectum te componis, curas & ſollicitudinem qualemcunque exue: neque curas tantum, ſed & negotia tam forenſia quam domeſtica urgente ſomno ſubire animum tuum permittere noli: hæc arcent ſomnum aut ſaltem interpellunt, quo minus reficit & exhilarat quies, tam conſervandæ valetudinis demùm quam ſomni capeſſendi præcepta hoc monent & hortantur.

——Ante tuum quicquid dolet exue lectum.

In hunc finem diurnam innocentiam tuere ab omni morum turpitudine alienam; ſic triſtes animi & dolorum cavebis morſus, infeſtum ſomni hoſtem, ſuaviſſimum ſomnum induxerit *bonorum operum contentatio*, ſed arcebit *malorum invitus horror*.

4° Da

4° Da veniam, Domine, ut una cum regulis hiſce Medicis conſilium aliud majoris momenti tibi adjungam : Fateor equidem à ſcopo medico alienum videretur, rei tamen utilitas atque momenta, me judice, excuſationem facilè obtinerent. Exemplum imitatu digniſſimum tibi proponam Celeberrimi Medici Norwicenſis, Tho. Browne Eq. Aur. è libello ſuo *Religio Medici* vocato. *Somnus eſt ita morti ſimilis ut ei me committere non audeo niſi precibus factis, & luci quodammodo per colloquium cum Deo habitum valedicto. Hoc Hypnoticon cubitum iturus adhibeo, nec alio mihi Laudano ad ſomnos faciendos opus eſt, poſteà ſecurus ad ſomnum componor, ſoli longum vale dixiſſe contentus, & ad reſurrectionem uſque libenter dormiturus.*

Antidotum hoc unicum eſt ad expellendum iniquiſſimi diei venenum, ad præveniendum perditiſſimi ſeculi contagium, adverſus præſtigias Dæmonum & tenebrarum, & ad mortis terrorem abigendum ; ſic diem fœliciter claudet

 nox,

nox, ſic vitam fœliciter excipiet mors, ſic frui licebit perpetuâ ſine nocte luce, quam maximè tibi exoptat

Devotiſſimus Cliens.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 2. lin. 22. lege *desinant.*
2. ultima l. *censearis.*
9. 27. l. *que.*
27. 17. l. *peragenda.*
33. 15. l. *solemus.*
41. dele *quod*: l. *ventum esse ut ---- patrocinetur ---- jactet.*
52. 12. l. *onustus.*
53. 27. l. *Canicularibus.*
153 26. l. *perfecté.*
162. 8. l. *cibi.*
174. 9. l. *provectioris.*

Cætera, Benevole Lector, corrige.

Libri Medici Venales per *Staffordum Anson*, ad insigne trium Columbarum in Cœmeterio Divi Pauli.

In Fol.

Hippocratis Opera. Foesii.
Cardani Opera omnia.
Sennerti Opera.
Raii Hist. Plantarum.
Zacuti Lusitani Opera.
Van Helmont Opera.
Foresti Opera.
Johnston de Animalibus.
Vieussens Neurographia, cum figuris.
Fallopii Opera.
Boneti Mercurius Compitalitius.
——— *Medicin. Septentrional. Collatitia.*
G. Fab. Hildani Opera.
Malpighii Opera.
Hortus Mallabaricus, &c.

In

In Quarto.

Bauhini Theatrum Anatomicum.
Bocconi Icones & descript. Plantarum.
Fienus de signis Medicis.
Van Helmont Opera.
Borellus de Motu Animalium.
Castro de Morb. Mulierum.
Joelis Opera.
Sturmii Colleg. Curiosum.
Zwelferi Pharmacopœa.
Hartmanni praxis Chymiat.
Lister de Animalibus.
Willis Opera.
——— de Anima Brutorum.
Blasii Anatomia Animalium.
Michaelis Opera.
Quercetanus Redivivus.
Linden de Scriptis Medicis.
Margravii Materia Medica.
——— Prodromus.
Chymia Rationalis.
Bohun dissertationes Chymico-Physicæ.
---Circulus Anatomico-Physiologicus.

In

In Octavo.

Hippocratis Opera.
Bartholini Anatomia.
Theatrum Chymicum, 6 Vol.
Willis Pharm. Rational.
Ent. de Circuition. Sang.
Sydenhami Opera.
Betts de Ortu & Natura Sang.
Bartholin. de Nivis uſu Medico.
Borelli Hiſt. & Obſerv.
Lower de Corde.
Merret Pinax Rer. Nat. Britannic.
Liſter de Fontibus.
Tulpii Obſervationes Med.
Ludovici Pharmacia.
Le Mort Pharmacia & Chymia.
Waldſchmied inſtitut. Med. Rationalis.
Bontekoe Fundament. Med.
Gliſſon Anatom. Hepatis.
—— *de Rachitide.*
Harvæus de Generat. Animal.
—— *Exercit. Anatom.*
Morellus de Formulis Remed.

Maccaſii

Maccaſii Mater. Med.
Franzii Hiſt. Animal.
Albertus Magnus de Sec.
Muralti exerc. Med.
Schola Salernitana.
Schola Botanica.
Severini Synopſ. Chyrurg.
Willis de Febribus.
—— *de morbis Convulſivis.*

Launoii Epiſtolæ, Fol.

Leonardi Plukenetii Phytographia, ſive Stirpium illuſtriorum & minus cognitarum Icones Tabulis Æneis ſumma Diligentia Elaboratæ, Lond. 1691. Fol.

Hortus Siccus Pharmaceuticus : Or, a Phyſick Garden of Medicinal Herbs. Wherein is Contained a Curious Collection of *Real Plants*, being of ſuch *Trees*, *Shrubs* and *Herbs*, both Native and Foreign, as are moſt frequently preſcribed by the Learned Colledge of *Phyſicians*,

cians, and daily uſed in the *Apothecaries* Shops. With an Account (affixed to each Plant) of their *Names*, *Places* and *Times* of Flouriſhing; as alſo what *Parts* and *Preparations* of each Plant are moſt in uſe.

Curioſities in Chymiſtry: Being New Experiments and Obſervations concerning the Principles of Natural Bodies.

C. Nepos, *Horatius*, *Virgilius*, *Terentius*, *&* *Phæd. Fab. in uſum Delphini*, Octavo.